Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
38 M L
7

Σ 8/14

Sal. Scaf. 6 - A - 9

IVLII CAMILLI DELMINII

PRO SVO DE ELOQVENTIA THEATRO,

Ad Gallos Oratio.

CVM PRIVILEGIO.



BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS,
Ex Officina Ioannis Baptiſtę Somaſchi.
M D LXXXVII.

ILLVSTRISSIMO
ET REVERENDISS.MO
ALEXANDRO PERETTO
S. R. E. CARDINALI
MONTALTO.

PRæclara Virtutum tuarum Fama Cardinalis Ampliſs. & ſingularis tua erga bonas artes, & litteras propenſio, multorum adeò prædicatione celebrata, animum ita affecit meum, vt ante quieſcere non potuerim, quam ſummum in te ſtudium meum, atque obſeruantiam ſignificare aliqua ratione mihi liceret. Hæc verò potiſſima mihi ſeſe obtulit occaſio, vt Orationem facundiſſimam IVLII CAMILLI DELMINII litteratorum hominum eruditiſsimi, & celeberrimi in lucem ederem, atque Illuſtriſsimo Nomini tuo dicarem: nam vt Summi Pontificis XYSTI V. proxima cognatione, & maximi honoris am

† 2 plitudine

plitudine;ita quoque omnium ſtudio, cultuq; virtutis tuæ præſtantia digniſſimum te oſtendis. Ex hac autem admirabili Oratione quales, quantæq; fuerint vires Ingenij, & Eloquentiæ Authoris, facile colligi, ac perſpici poteſt. Pręſtātiſſimum Ille omnium opus, & vtiliſsimum primus inchoauit, atq; perfecit; iamq; in manus id hominū peruenisset, niſi pretioſiſſimum nobis Theſaurum aliena inuidiſſet auaritia. Nūcupatum ab eo fuit Theatrū, in quo Artium Omniū; Scientiarūq; percipiendarū ratio quędā breuis, & aperta continetur, & quaſi ſpectanda exhibetur. Etſi non defuerunt qui rē illā omnes humani Ingenij vires excedere; inſcitia, an inuidia ducti; aliis perſuadere conarētur. His ille in hac ſua diſertiſſima Oratione acutiſsime reſpondens, atq; conſilij ſui reddens rationem, & oſtendēs quonam pacto, quaq; via tale, tantumq; confici poſſet opus, & inuidorum hominū calumnias refellit, & inſtituti ſui rationem euidentiſſimis argumētis cōfirmat. In hāc etiā ſentētiā ab ipſo cōſcripta extāt ad PETRVM BEMBVM CARDINALEM pauca hęc Carmina: quę ut Opuſculo huic adiūgerentur, digna mihi viſa ſunt. Quod reliquum eſt, Te quā humillime rogo, ut non tam Munuſculum hoc meum æqui boniq; conſulas, quā ipſius IVLII CAMILLI monumētum tua gratia, & patrocinio non indignum exiſtimes. Vale. Venetiis, Kal. Ian. M D LXXXVII.

Illuſtriſs. atq; Reuerendiſs. D. T. **Addictiſſimus**
Paulus Fenarius.

VINCENTII GILIANI DE Alexandri Peretti Cardinalis Montalti, Xyxti Quinti Pontificis Maximi Pronepotis Studijs.

VIRGO decus cæli, vaſti ſapientia mundi,
Pallas, Siderei ſancta propago patris,
Hanc tibi progenie inſignem, multaq; nitentem
Prole oleam Adriacus donat habere Mycon.
Ipſam Delminia, vndoſus qua littora frangit
Adria, in exculto ſedula ſeuit agro.
Delminia Auſonias inter pulcherrima Nymphas,
Delminia Aonij gloria prima chori.
Hanc circum Dryades fundunt carcheſia Bacchi,
Plenaq; cadenti Cymbia lacte Pales.
Et charites violas, & candida lilia iactant,
Lætaq; odorato mixta roſeta croco.
Huc quoq; ſuccedunt, lætæq; ſub arboris vmbra
Cantant Aoniæ, candida turba Deæ:
Exercentq; choros nexis per mutua palmis,
Et quatiunt niueo gramina lenta pede:
Tu nunc fac, magno Pani vt dilectus Alexis;
Alti qui in MONTIS vertice paſcit OVES;
Et cuius nomen ſacri eſt mihi numinis inſtar,
Nobilis & Sancta me face torret Amor;
Cuſtodes Ouium ſuperet, pecudumq; magiſtros,
Atque ipſam rerum cognitione Palem.
Detq; ſenex tumulo longe ſpectabilis alto
Syluicolis leges & ſua iura Deis.

PAVLI FENARII DE EIVSDEM Alexandri Peretti Cardinalis Studiis.

AD iuga Parnaſi lætus dum tendit ALEXIS,
Et ſuperat rapido deuia teſqua pede;
Ah ne ipſi teneras lædant ſaxa aſpera plantas,
Neu tingant roſeò murice crura rubi.
Ah ne ipſum abducat Veneris maleſuada voluptas,
Neu frangat durus mollia membra labor.
Nam ſi perget iter cæptum, mox Phœbe videbis
Eſſe tibi hunc cithara carminibuſq; parem.

IVLII CAMILLI DELMINII
ad Petrum Bembum Cardinalem Carmen.

BEMBE decus Venetum, cui circum roſcida culta
Aonidum ars eſt, vnde æternum ducis honorem;
Quid quæſo hoc eſt? quid? Multos ego multa per annos
Congeſſi e ſcriptis Veterum, multa otia rupi,
Mentibus vt Iuuenum per me labor omnis abeſſet,
Si poſſem, atque auſis diuina his Numina adeſſent,
In rebus, Verbis, Arte, Artubus, Articuliſq;.
At genus eſt hominum vulgò, quod ſuſtulit ante
Aſſenſum nobis, & dicta admouit acerba,
Quam luſtraret opus ſenſu, quo ſæpe tenax mens,
Quum geſtum ratione videt quid, cum ordine geſtum;
Conſentire ſolet, quoniam dat vera fidem res.
Fac elementa, quibus paucis variata figuris
Innumeris legimus quàm multa volumina chartis,
Ignorare homines, libroſque extare per Orbem,
Atque ex ignaris tandem vnum exiſtere; qui ſe
Spondeat hæc paruum, quæ non finita videntur,
Acturum in numerum; quis Bembe huic crederet vni?
Inq; notas vnquam quis ſcripta putaret eaſdem
Recidere aſſiduè? At ſunt inuidioſa reperta:
Te cultrix nemorun teſtor; te penniger Hermes;
Te Venus; atque vno qui cernis lumine cuncta;
Te belli; te Cęli Rex; te falcis aduncæ,
In quorum ſeptem hæc moles tam dædala Mundi
Numine tota ſita eſt, ſimul & mea Machina tota eſt;

Vos

Vos certa Mundi verſatis munia lege;
Vos certa noſtri regitis loca picta Theatri:
Nam ſi quod ſub, ſupraq; eſt, circumq; videmus,
Quicquid in amplexu eſt veſtro, Natura creatrix
Præfinit, non eſt Naturæ à lege remotum,
Me finem rebus, verbis, artiq; parare:
Hæc quoniam quemcunque locum tria iuncta tenebunt,
Diuitiæ caſti Sermonis, Materies, Ars;
Verba etenim ipſas res ſignant, quas veſtra poteſtas
Continet, extra quas aliјs ſunt auia clauſtra;
Et quamuis prima ſuſcepti luce laboris
Et Res, & Verba, & minima horum, & maxima quæq;
In promptu poterunt ſtudioſis omnibus eſſe;
Delectus tamen horum obſcurus, Iudiciumq;
In tenebris, niſi lux, quæ ſemper in arte magiſtra,
Et media eſt inter res, & rerum inter amictus,
Scriptorum mentes cæcis arceret ab vmbris.
Quin etiam ars alia eſt illi, qui verba ſolutis
Contexit numeris, Populo, aut ſpectante Senatu,
Inſanoue foro, vel nunc tu qualia Bembe
Æternæ mandas famæ, ſeclisq; futuris,
Jnclyta deſcribens Venetum tot geſta tuorum;
Atque illi, qui plena Deo, ſacroq; furore
Ad raucum fontis murmur, laticiſq; perennis
Aut cinctus paphya, aut Victrici tempora fronde,
Serpentiue hedera circum ludentibus auris
Inter odoratos flores canit, inter & vmbras,
Cui pulſi reſponſant luci, amneſq; ſonori.

Quorum,

Quorum, qui maior, tu, qui æmula, dignaq; Phebo
Bembe facis, melius poteris quandoq; referre.
Hoc ego, res nunquam verborum luce nitere,
Luminis in puras ni certa ars duceret oras.
Materiemq; aliter mentis pernicibus alis
Attollit ſecum ſapiens, qui firma relinquit
Prima ſolo veſtigia, deinde potitus aperta
Planitie ſocios iam curſu præterit omnes;
Mox animo exultans Diuum ſublimia tentat
Atque Plato, ſuperum qui oculos in Numine fixus,
Hiſq; inhians diuinam ingenti pectore curam
Concipit, ad terraſq; docens deſcendit ab alto:
Atque aliter ſacrum fului os auri, aurea lingua,
Sacrorumq; alij Proceres. QVORVM ò ego poſſem
Virtutem æquare Ingenio, eloquioue diſerto
O leti incertos caſus mea vinceret ætas:
Cuncta ſimul tandem digeſta in ſede paterent,
Dicta ſua fuerant quæ iam diſperſa per omnes;
Sic eadem ſedes præberet cuncta legenti,
Diſſidium tandem ſic linguæ, & cordis abeſſet.
Sed modò me maneant, quæ ultro Rex maximus olim
Munera promiſit, tantis digniſſima cœptis:
Forte ego multorum auxilio, duroq; labore
Præripiam Morti immortales primus honores.
Hæc volui ſcires, dum res, habitumq; pararem,
Diſtentus, totieſq; Italis reuocatus ab Oris,
Ne de me incertus rumor, variuſq; feratur
Amplius: Hæc ſcriptis committo, cætera coram.

IVLII CAMILLI DELMINII ORATIO.

QVID hoc quæſo viri Galli, quòd cum aut eorum opinionem in Gallia peruicerim, qui mihi imbecillius aſſentiebantur: aut certe conſecutus fuerim, vt ij, a quorum auribus inuſitata ſtudiorum meorum ratio abhorrebat, ad reditum ſe ſuſtineant: nunc etiam antequam Italia cedam, calumniarum nebulas diſcutere neceſſe habeã? quas indignis modis quidam noſtratium Dei optimi maximi clariſſimis in me beneficijs obducere conantur. Vos ego appello Galli, vos inquam, quos habui veritatis ſpectatores; fidei meæ candidiſſimæ teſtes: vt ſi aliquo tempore ijs opem tuliſtis, qui nullis uos meritis deuinxerunt; qui nihil, quod in rem veſtram eſſet, fecerunt: a quibus nulla commoda in vos proficiſci poterant; nunc acerrimo, grauiſſimoque teſtimonio veſtro etiam ab Italia remoti; etiam lon

go locorum interuallo diſiuncti, vt vt poteſtis, mihi clamāti adſitis. Aderitis enim illi, qui vt Regi veſtro omnium virtutum ſtudioſiſſimo, qui vt vobis, cum Rex volet, vt etiam fortaſſe ijs ipſis, qui nec bene, nec pudicè linguam ſeruarunt, quos potuit labores, quas potuit ſtudiorum vigilias alleuaret, omnem curam, omnemque operā in ijs, quæ & ad ſapientiam, & ad eloquentiam pertinerent, diligentiſſimè collocauit. aderitis illi, contra quem obtrectatores dicere non poſſunt ſine nominis veſtri, ſapientiſſimi iudicij Regis, Dei ſummi ſummę poteſtatis calumnia. aderitis tandem illi, qui ſe ipſum, qui rem iuſtiſſimæ laudis: qui vos, qui eam ſuſpexiſtis; Regem, qui vt præſtantiſſimam prædicatione, ac ſplendore decorauit; Deum, a quo emanauit, hac oratione (ſi fas dicere) quoad poterit, a tot, tantiſque obtrectationibus vindicare conabitur. Minimè igitur mirum, ſi vos quàm poſſum magno, effuſoque clamore appello. etenim nouum, inauditum, pręter omnium gentium conſuetudinem, mihi iudicium video ſubeundum: eos ipſos iudices habeo, qui mihi aduerſarij ſunt: ago iniuriarū cum illis, qui iudices ſedent; nec aliter fieri poteſt, ſi cupio vincere, ſi cauſa volo eſſe ſuperior: quam optimis coniecturis firmabo, cum re ipſa ſine Regis nutu non poſſim. Cum enim cauſa potiſſimum ex ſublata aſſenſione orta ſit, non putabo me eam obtinuiſſe: niſi iudicium eorum, qui nullam mihi fidem habent, qui me contumelioſè læſerunt, tandem perſpicuis ipſius veritatis notis adductum (ſi mente vti volent) conceſſerit, crediderit, atque adeò de re ſententiam tulerit. Verùm angor animo, quòd eam etiam

diligen-

diligentiam, quam rei quædam noua magnitudo poſtulare videtur, adhibere nequeam: quoniam cum primùm in Italiam veni, vbi ad aures meas iſtorum ſermunculi aduolarunt, cæpi ſolicitari ad reditum: quo fit, vt cura reditus orationi, oratio reditui tempus corripiat. Quapropter ex equo, in quem penè aſcendi, ex manibus iam lora, ſtimulumq́ue tenentibus oratio hæc quaſi ſubita euehetur. Ea tamen charitatis voce: quæ perpetuum ſonum in eorum auribus teſtem mei officij, meæque erga illos pietatis relinquat. Eò enim magis miſericordem animum in illos oſtendere debeo: quò maiore mentis morbo, & ſine ſenſu tentantur. Nam æquum eſt, cum ſim pars eiuſdem corporis, cuius caput Chriſtus eſt; cuius etiam ipſi partes ſunt minus belle habentes: vt, etiam ſi ex contactu non delabor in idem genus morbi; laborantium tamen partium, quæ inualetudinem non ſentiunt, vicem magnopere doleam. Forſitan quęretis, quę mentis iſta inualetudo ſit? qua correpti homines nihil prętermittunt quantum facere, enitiq́ue poſſunt; quin verbis rem honeſtiſſimam, atque rectiſſimam labefactent: eſt profectò, ne inuidiæ macula notentur, falſa quædam, prauaq́; opinio, qua pleriq; ducuntur; vt de rebus etiam non cognitis ſæpe contendant, & iudicent; eaq́; poſſe fieri negent, quæ ad eorum poteſtatem latè patere non vident. Quare vera mihi videtur Platonis ſentẽtia, dum animi noſtri illigantur vinculis, corpus ipſum tantis offuſis tenebris vix ſcintillam ad perſpicienda ea, quę recta, quæ pulchra, quæ bona ſunt, nobis reliquam feciſſe. Quo fit, vt opinio cæca, ac temeraria ſcientiæ imitatrix ſæpe exi Plato.

ſtat: quæ iniquum pro ęquo, turpe pro pulchro, malum pro bono probare ſumma ope contendat. Neque enim ad verum accedere poſſumus, niſi multis laboribus (Deo etiã monente) ad id aſpiremus. Tu tamen pertinaciter vis aliquid rectum, aut pulchrum, aut bonum eſſe. Ille contrà idem iniquum, aut turpe, aut prauum aſſeuerat. Atque cum opiniones tuæ cum alienis non conſentiunt: inde animorum alienationes: inde ſæpe inimicitiæ: inde etiam plerunque bella fiunt. Dicam ego; poſtquam Rex iam aperuit, quod meus cæteris diu clauſit pudor; dicam me hanc nouam rationẽ ſtudendi induxiſſe, & inſtituiſſe expeditam, ſolutam, liberam, nulla re implicatam. Iſti non modò negabunt inuentam, ſed quod ipſi, aut alij ante nos non inuenerint, omnino non poſſe inueniri dicent. Ego rationem a Deo illuſtratam quærendi, atq; inueniendi initium mihi attuliſſe; remq́ue maximis laboribus expolitam enituiſſe confirmabo. Iſti Deum a mente eripere, negationibusq́ue quidquid dixero euertere conabuntur. Quę nam obſecro erit iſta contentio? iuuabit ne etiam (ſi Dijs placet) a contentione ad iurgia, a iurgijs ad inimicitias, atque ad odia progredi temere? quorum omnium cauſam vnam inſcientiam, vnde ſæpe praua oritur opinio, Plato vidit. Hic ne animorum langor me ab eorum beneuolentia diſiunget, cum quibus Dei imaginem coniunctiſſime poſſidere debeo? Sed cum a veritate rationis noſtrę vis quaſi præſtigijs quibuſdam, & captionibus corporis depellatur: cui putatis eam magis eſſe perſpicuam: ei ne, quem Deus in illam impulerit, & qui plurimum in re negotij habuerit:

Plato.

buerit: an illis, qui in ea non elaborauerint? Adſit exiſtimator picturarum: quanta in umbris, quanta in eminentijs, quanta etiam in colorum varietate videbit, quæ meorum oculorum aciem fugerent? Is ſimul ac oculos in picturam intenderet, multa aut in monocromatis Michaelis Angeli: aut in ſimulachris Portus Naonis, quæ ex lumine, quod pennicillo mirabiliter adumbrare ſolet, exilire videntur: aut in colorum lenocinijs Raphaelis urbinatis perſpiceret, atque oſtenderet; quæ ego ne ſuſpicarer quidem. Deberemne igitur ego res; quæ a ſenſu etiam eorum, qui ſunt paulis perexperti, percipiuntur: quoniam a meo aſpectus iudicio remota ſunt; etiam a iudicio exercitati hominis importuna quadam pertinacia remouere? At ſi ij, qui conſuetudinem adhibent picturis tantùm iudicandis, præſtant rudibus iudicio: quid dicemus de artificibus? quanta mihi Angelus Vtinenſis, & in Architectura: cuius facultas in eo ſumma ē: et in perſpicuis oſtendit, quæ ego antea non videbam? tantam vim habet experientia, tantam alicuius rei magnum, ardenſque ſtudium, tantam alicuius artis occupatio. neque ullis virtutibus magis quàm ijs rem a re diſtinguimus, his vnis rationis ſplendor, quę vitę lux eſt, ex circunfuſis vndiq; tenebris erumpit. his unis vbi dormiuimus, edormimus. Neque id mihi ſumo, vt me; cui etiam viri mediocri doctrina præſtant ſcientiarum, eloquentięque cognitione; rerum, verborumq́ue peritum audeam dicere: aduerſarios verò ignaros; qui doctiſſimi, atque omni penè laude virtutum clariſſimi ſunt. Quid ergo eſt? nouum me in rebus,

Michael Angelus. Portus Naon. Raphael Vrbinas.

Angelus Vtinenſis.

Magna vix experientiæ.

Splendor rationis, vitæ lux.

nouum

nouum in verbis miniſtrandis artificem, etiam ſi pudor, ne id dicam, me retrahat, eſſe tamen confiteor.

Ars Iulij Camilli.

Cuius ars, quæ ex Dei munere nunc primùm profertur, eſt quædam ad omnes noſtras cogitationes, prompta rerum, verborumque miniſtratrix. Scio equidem hęc eadem in multis viris ſumma eſſe, verùm ipſis tantùm utilia; neque poſſe fieri, vt cęteris niſi temporis diuturnitate, magniſque laboribus efficiantur communia. Verùm utcunque in me ſint, ęquis, boniſque relinquo iudicanda; ea tamen ipſa, quæ ſunt, uno die cuilibet parata, perinde ac mihi eſſe poſſunt. Nec mirum eſt, quòd in ea ipſa re, in qua mihi uiri lectiſſimi antecellunt, ego me ipſis antecellere dixerim. quoniam ſæpe una, eademque res ſub plureis arteis diuerſis quidem rationibus ſubijci poteſt.

Vna eadē quę res ſępe ſub p'ureis arteis diuerſis rationibus ſubijci poteſt.

Ego igitur, qui rebus, qui etiam verbis ſtatim inueniendis, iudicandis, diſponendis permultos annos me non mediocriter uerſatum eſſe non inficior; litem agito cum viris, qui earundem rerum, eorundemque uerborum vſu, hac noſtra ætate maximè florent. ad quorum dicta veniendum eſt, vt apertius reſponſionum mearum rationes perſpicuæ fiant. Iſti dictitant id, quod ego Regi bonarum literarum cupidiſſimo propoſui, tantum abeſſe, vt conſentaneū ſit; vt non ſolùm ſit habendum incredibile, ſed etiam quod rerum natura nō patiatur. Propoſui autē caſtā illam, & incorruptā dicendi facultatem, quæ florentiſſimis tēporibus uiguit, ita ad manus; ut quidquid poſthac ſenſu, aut cogitatione comprehendet; ijſdem ſapientiſſimis conſilijs, ijſdem verbis illuſtribus, quibus ornatiſſimi ſcriptores vſi ſunt, ſine magno negotio, cum

volet,

volet, enuntiare poſſit. Aiunt enim, ſi id potuiſſet fieri; quòd aliquis non defuiſſet, qui acumine ingenij præditus tantum honorem mihi præripuiſſet: ſumma quidem cura, ardentiq́ue ſtudio id ante a me cõquiſitum ratione animi, laboribusque comparatum, & tandem in lucem prolatũ fuiſſet. Hoc prçterea a me requirunt, cur tandiu in tenebris delituerim? quàue modeſtia rem tam incredibilem Regi proponere potuerim? At quoniam ego vereor, ne arrogantis ſit tam mirabilia ſçpius polliceri; lapſi, & crimen agnoſcentis tacere; non fidelis, prius alijs omnia, quàm ipſi Regi effudiſſe: danda eſt mihi quadam ratione, moderationeque opera, vt, ſumma rei omiſſa, Rex cognoſcat me fidem ſeruaſſe; vos ex rebus indicandis, quç exiſtimandæ veritatis ampliſſimam copiam dabunt, me ab errore alienum; & cum omnia Deo deferam, nihilque dicam ad me pertinere prçter vigilias, nulla eſſe arrogantia pollutum. quibus de cauſis reſponſionem meam in quinque parteis omnino diuidam. Primum enim oſtendam diuerſa dona nobis diuinitus, non omnibus eadem, neque ſingulis çtatibus omnia contingere; vt ſi piè factum putent, omnem culpam in Deum conferant; qui potius mihi, atque huic ætati, quàm ipſis, aut alio tempore donum hoc fuerit impertitus: cauſamq́ue, qua, ne ceſſatione torperem, Regi maximo, & cum ei collibuerit, bono publico ex communi ignorationis ſomno experrectus ſim. Deinde docebo rem non ſolùm potuiſſe fieri, ſed etiam non alienam a natura, neque a conſilio Ciceronis fuiſſe. Tum vt rectè intelligantur, quç mihi ab aduerſarijs obiecta ſunt, cum de iiſdem

Arrogantis mirabilia ſæpius polliceri.

Diſtributio in quinq; parteis præſentis orationis.

Diuerſis hominibus & ætatibus diuerſa dona a Deo conceſſa.

conſi-

conſilijs, ijsdemque verbis dicebant, ea dicam de imitatione, quæ ſcitu maxime neceſſaria ſunt: quæue authores omnes, quos legerim, præteriere. Poſt demoſtrabo me, vt rem tantam ex tenebris euocarem, in tenebris ei diu operam dediſſe. Poſtremò planum faciam, me nunquam modeſtiam exuiſſe. Quibus cognitis non dubito, quin ſatis conſtet, & rem certam eſſe, & quæ propoſui veriſſima: meque etiam verecundiorem, quàm fortaſſe putant, extitiſſe.

Poſitum ſit hoc primum, me idcirco non dicere donum hoc a Deo in me fluxiſſe, quòd velim perinde cæteris vitę probitate, ac huius rei inuentione anteſtare: immo verò nec de ipſa inuentione, quæ Dei tota eſt, magnificè me circũſpicio: ne qui huius facultatis deſiderio minimè, niſi pro Dei laudibus celebrandis, demonſtrandis, perſuadendis flagrare debeo; inani etiam gloria rerum, quæ ad Deum tantùm referri debent, teterrimè tenear. Neque ſemper diuina huiuſmodi dona ad hominis probitatem adiunguntur: ſępe enim cum vitæ turpitudine in terris viſa ſunt. Poſſumus inquam dona hæc, atque vnà omneis impuritates ſuſcipere. poteſt flagitioſa hominum fœditas, vt limus, diuinæ lucis radio illuſtrari. Quid? legiſtis (ſcio) Deum etiam futurorum prædictionem in eos homines contuliſſe, qui impietate, atque mala cupiditate diffluebant. Ille certe, cuius aſella ſpiritu ducta loquuta eſt, impurus, atq; impius fuit: ſeptem enim aras ſibi erigi iuſſit: nihilominus Deo monente futura denũtiauit. quid dicam de illo, qui treis pueros in feruentiſſimam fornacem coniecit; quòd genibus aureæ ſta-

Inuentio tota ad Deum referenda.

Flagitioſi etiam homines diuina ſuſcipiunt dona.

tuę ſupplices ſe aduoluere noluerunt? Quid etiam de iniquiore eius filio? veruntamen etiam hi ventura proſpexerant. Id enim tantum lumen extinctis cæteris inter ſcelera, tanquam inter nubes coruſcabat: cuius rei cauſam, & ſi non deſint, qui aſſignent, ea tamen in diuinæ voluntatis arcanis a noſtrarum mentium imbecillitate ſeiuncta numerabitur. Cum igitur hæc longè maiora non ſemper pulchrè locentur; non eſt quòd aut ea qui habent, ſeſe tanquam cæteris Deo amiciores iactent, atque ſuperbiant; aut qui non habent, etiam de diuina poteſtate id, quod non habent, imminuant. Sed quid (per pacem) aliud eſt dicere hoc vobis non probari: quàm aut de me malè ſentire? de ipſo etiam Rege non bene cogitare? aut Dei potentiam mea cauſa extenuare? Cum enim omnem veſtram ſententiam in vnam negationem conijcitis: hac vna fidem meam, Regis iudicium, Dei poteſtatem indignè læditis. Me igitur negationibus torquetis? qui rem ſcio certiſſimam eſſe, qui ipſam mente manibusque teneo, ſicuti mox vobis opportunè aliquo modo declarabo. A tanti Regis teſtimonio deflectitis? qui periculum fecit, qui rem prædicauit, qui ei etiam maximum honorem habuit. A Dei poteſtate nouum hoc opus, tenue hoc munuſculum admitis? A cuius tantùm verbo cælum ſplendore plenum; flammantibus ſpiritibus repletum, tantum ignis, tantum aeris, tantum, volucrum, aquarum, piſcium, terrarum, animantium extiterunt. Sed vt cognoſcatis diuerſa dona ab vno, eodemque ſpiritu in homines conferri, attendite quàm molliter ingrediar ad aperiendam rationem veritatis.

Diuerſa dona ab vno eodēque ſpiritu in homines cōferuntur.

tis. Cum conſpicitis pratum aliquod diuerſis diſtinctum herbarum, florumque coloribus: in oculis vobis ſit totus orbis terrarum, in quo æquè varium genus hominum eſt, ac herba, ac flores in prato. Atque vt totum prati ſolum, vnum, eundemque humorem diffundit: vnde diuerſa genera herbarum, florumque alimenta ſumunt: ita tamen, vt quælibet herba, quilibet flos, ſuo quodam proprio colore terram pingat: ſuo odore cęlum repleat: ſua etiam quadam virtute vigeat: ita homines vno, eodemque diuino ſpiritu afflantur: quilibet tamen pro ſua natura, quam ex materia, atque ex ſtellis trahit, ei acceptum ſpiritum rei accerſit; ad quam ab ipſa natura admonetur. Apponite etiam pluuiæ exemplum: ea certe cum unius generis ſit; tamen in vitem decidens, vinum gignit; in oleam, oleum; in pomos, poma; in ſentes verò non ſolùm roſas, ſed id etiã, quod ſimile eſt verbis, quibus me pungitis. Quare Paulus diuerſa dona ſpiritus, ſpiritum tamẽ vnum eſſe docuit. Verùm id fortaſſe magis planum fiet: ſi, quæ ſit donorũ diuerſitas, exponetur. Ille igitur qui nos procreauit, cuius beneficio cęlum, terram, maria videmus; duo in primis dotium genera ad humanę ſocietatis vtilitatem, conſeruationemque nobis tribuit. quorum alterum in aliquos mortalium, non in omneis: atque adeo in hunc plus, in illum minus diuidi facile paſſus eſt. alterum in vniuerſis hominibus ita eſſe voluit commune, vt non ſolùm quilibet eodem frueretur, ſed nihil inter hoc atque illud diſtributum intereſſet. Itaque dotes, quę non æquabiliter in ſingulis videntur diffuſæ, ſed in aliquibus tantùm, quaſi ad faculta-

Paulus.

Diuerſa dona, ſpiritus tamẽ vnus.

Duo dotium genera ad humanę ſocietatis vtilitatẽ, conſeruationemq; nobis a Deo tributa.

Dotes nõ æquabiliter in ſingulis, ſed in aliquibus tantũ modo ſeorſum diffuſæ.

tem

tem aliquam notatis, deſignatiſque, artes ſunt omnes non modò præclariſſimæ, ſed etiam ſordidiores. Quare non videmus homines ea laude ingenij in ſingulis artibus florere; vt qui in medicina ingenio poteſt, in re ruſtica etiam, atque in cæteris valeat: quia ita omnes homines, & medici, & agricolæ fuiſſent: ſed in multis duos, aut treis medicos, atque duos, aut treis agricolas videmus, qui illis omnibus ſunt ſatis: qui neque curationi humanorum corporũ, neque agro colendo præſunt: atque in ipſis medicis, in ipſiſque agricolis, vt aliquis inter omneis excellat; aliquis in primis habeatur; aliquis etiam in ſecundis, tertijs, atque in vltimis numeretur neceſſe eſt. Neque ſimul ac munerabatur commoda Deus, quæ diximus, alicui; eum continuò medicum, aut agricolam fecit: ſed tantùm ſemina ingenij, quę aut a medicina, aut ab agricolatione eſſent, largitus eſt. Quid etiam? præmium ijs pollicetur, qui bono publico rem aliquam bene gerunt: quorum ſtudio, diligentia, opera ſubacta ingenia, tanquam agri nouati, atque iterati efficiunt, cum tertio, vel etiam cum quinto bene vt agatur: ac de pernicie, exitioque eorum acerbè cogitat, qui deſidia torpentes vitam quaſi mortuam viuunt. Quæ vt ſignificatione aliqua indicaret, qui a ceruicibus noſtris iugum ſeruile deiecit, qui crudeli dominatu genus humanum morte ſua liberauit; patrem familiàs fecit inter ſeruos partiẽtem talenta, vt multiplicarentur; oſtenditque patrem familiàs præmijs ſeruos affeciſſe, quorum opera alia etiam talẽta acceſſerunt ad ea quæ dederat: ſeruum etiam deſidem, qui talentum vnum terræ mandauit, carceri adiudicauiſ-

Vitã quaſi mortuã viuere.

Partitio talentorũ euangelica a patre familiàs ĩter ſeruos quid ſignificat.

ſe. Ecquid aliud talenta, vt ſtudioſè a nobis ſeruis adaugeantur, ſignificant, q̄ acies, virtuteſque ingenij? in quo magna ſemper alicuius artis eſſe debet occupatio, ne quid otij ad ignauiam relinquatur: ita tamen, vt quidquid vel conſiliorum propter acquiſitam ſapientiam, vel ſuaſionis propter partam eloquētiam; vel aliud vtilitatis propter alias arteis, vel inuentas, vel perceptas nobis accedit: id totum reip. rationibus, humanæq; cōmunioni acceſſiſſe putemus.

Dotes ęquabiles duæ; iuſtitia, & pudor.

At dotes, quę eſſe debent in ſingulis æquabiles, nullaque differentes re, illæ duę ſunt; ſine quibus vrbes conſtitutæ funditus corruerent, humanaque ſocietas penitus concideret: atque (vt eas nominem) altera iuſtitia, altera pudor eſt, arctiſſima certe vincula: quibus ſocietates, ciuitateſque ne diſſoluantur, ne diſſipentur, connecti conſtringiq́ue debent. Fac tu inter multos iniquos, atque impudentes unū eſſe iuſtum, pudentemq́ue; æque ac inter multos non medicos unus medicus: certe medicus in urbe optimum locum inter multos medicinę ignaros habebit: unus iuſtus, & pudens inter multos iniquos, atque impudentes non habebit.

Allegoria fabolę Promethei ignē Ioui furātis, & in ferula occludentis.

Accepiſtis (ſcio) de Promethei furto ſapientiſſimam fabulam: de igne inquam, id eſt de ingenio in ferula occluſo: quod ad uarias arteis natum pro natura hominum hominibus detulit: quem Prometheum miniſtram quandā prouidentiam ueteres theologi dicunt eſſe dotes diuerſas non æquabiles, ingeniumq́ue quod ignis perſimile eſt, hominibus impartientem: eiq́ue, non licuiſſe perinde iuſtitiam, pudoremque ex cęlo, ſicut ingenia ad omneis arteis mortalibus afferre: quoniam ad altiſſimam tantùm; cōmunemq;

om-

omnibus Iouis prouidentiam, diſtributionem iuſtitiæ, atque pudoris, quæ omnibus communia eſſe debent ornamẽta, ſapientes putant pertinuiſſe. Quare addunt Iouem cum vidiſſet homines communibus his carenteis donis eò in iniurias procedere, vt cogerẽtur tandem relictis vrbibus ſyluas repetere: Mercurium cum iuſtitia, atque cum pudore ad homines demiſiſſe. Qui cum minutatim ex patre quæreret, deberet ne dona hæc, vt Prometheus, elargiri, an vt in omnibus eſſent? in omnibus Iouem reſpondiſſe: his enim duabus infuſis in ſingulis videbat Iuppiter, & legibus iniurias arcere, & ciuitates temperare, atque aditũ charitati patefacere poſſe: quas, vt ſeruarentur, acerbiſſima in audaces animaduerſione muniuit. At quoniam omnia huiuſmodi ad ipſum Deum reuocare ſoleo, dicam non veterum, ſed chriſtianornm more, me a Deo ſummo vnum tantùm; at quemlibet veſtrum, aut quinq;, aut tria, aut duo talenta accepiſſe: confiteor enim, confiteor vos omnes magnitudine ingenij mihi antecellere: planum tamẽ feci dona diuini ſpiritus multa, atque diuerſa eſſe, cum tamen ſpiritus ſit vnus. Veſtra profectò incredibilis ingenij virtus, quam à diuinis vos quoque habuiſtis, fecit; vt in omni liberali doctrina, in omni dicendi elegantia floreret: non enim ſapientiam veſtram inopem, non tacitam eſſe voluit. Quibus laudibus & ſi ingenij mei imbecillitas caret: id tamen vnum eximium habuit, ut ad hanc nouam inuentionem natum omneis labores fortiter, libenterque ferret, dummodo eius diligentia, atque opera diuinum hoc opus exiſteret. A ferula igitur minimè fabuloſi Promethei

Mercurius cum iuſtitia & pudore à Ioue ad homines demiſſus.

Dona diuini ſpiritus multa atque diuerſa, ſpiritus tamẽ vnus.

vnica

unica ingenij ſcintilla mihi ad hanc inuentionem apta illuxit: quæ quidem, meo deinde labore, meo fomite adhibito, ad eas flammas amplificata eſt, quibus vos etiam in earum authorem incendimini. Nunc illa ratio quàm inops, quàm debilis ſit, ſatis conſtat: cum dicitis idcirco vos a re mea aſſenſum abſtuliſſe, quia ſi potuiſſet fieri, alij feciſſent. quaſi verò quotidie noua hominum non innaſcantur commenta: aut meliora non fiant, quę iam fuerant inuenta. multa profectò ſunt, quę natura quaſi parat, ars perficit. A ſylua enim ligna nobis prompta ſunt: ex quibus ars nauem ędificat. Multa etiam ſunt, quę ars præparat, at natura abſoluit; vt medicina: quæ tantùm ſuperfluentia mouet, natura eijcit. Sunt etiam in medio quædam, quæ à natura inchoantur, ſupremaq́ue illis ab arte quaſi manus imponitur, vt Vrſi informatio. aut ab arte initiũ ſumunt, ab eademq́ue finem expectant; vt doctrinæ omnes, ut etiam ipſa eloquentia. Quarum quidem etiam ſi antiquorum ſtudia, obſeruationesq́ue optima fundamenta iecerint; ſingulæq́ue illis ętates multa, magnaq́ue ſemper auxilia præſtiterint: hac abſolutione tamen carebant: vt ars etiam aliqua adhiberetur, qua & ſi non omneis earum virtutes, at certe ad eum numerum haberemus, qui nobis eſſet ſatis ad ea omnia rebus decoranda, artificijs inſtruenda, verbis illuminanda, quæ nobis in mentem venire poſſent. Ad quam nouam artem ſi aliæ ætates, aliorumque ingenia non incubuerunt; mirandum non eſt: quoniã aut huius rei ſtudio non incendebantur, aut in hanc mentẽ à Deo non impellebantur. At quotidie diximus in alijs

Alia a natura parantur, ab arte perficiuntur; alia ab arte præparantur, a natura abſoluũtur; alia ab arte inchoãtur, ab eademque finiũtur.

etiam

etiam artibus aut noui aliquid reperiri, aut ſuperiores emendari. Quærite in re militari, quærite in nauali, quæ rite in cæteris. Ex communi igitur ſommo experrectus sũ: vt ex meis laboribus vtilitas aliqua appareret, neque pœnas deſidiæ aliquo modo exciperem. Cur igitur meum negotium reprehenditis? cum ego non modò otio hebeſcere, et langueſcere noluerim: ſed ẽt, vt re tã noua, tam ſingulari proſim, enixus ſim. aliter tamen atque putaueram euenit: dum enim me in tutum ex minis pœnarum, quæ inertibus intenduntur, educo: vos me inuitum ad iniquorum, impudentiumque ſupplicia trahitis: quoniam ab religione officij declinantes iniquè, impudenterque me, qui publicis rationibus quàm maxime poſſum conſulo, omnibus modis violatis. quid enim iniquius? quidue impudentius? quàm ſuſcipere omnem loquacitatem contra eum, qui tui etiam commodi cauſa labores ſuſcepit? qui ſi tam inſtructus es, vt mearum vigiliarum non egeas, cur eas alijs inuides? vbi iuſtitia? vbi pudor? an te conſcientia maledictorum non ſtimulat? non metus ſuppliciorum exanimat? Explicaui quàm breuiſſime potui non omnibus dona ſpiritus eadem eſſe: meque in re, de qua eſt contentio, ex ipſa natura argumentum ſumpſiſſe. Nunc eam partem accipite: quę nec implicatis rationibus, nec paruis demonſtrationibus planum faciet: qui fieri poſſit, vt Rex non alijs conſilijs, non alijsque verbis, atque ijs, quę in probatiſſimis authoribus elucent, ea, quæ volet, facillimè enunciet. Si enim oſtendero, quæ ſint ea, quibus prohibemur, ne ex aliquo probatiſſimo authore, quem imitando effingere cupimus,

mus, totam veritatem in ſcripta noſtra transferre poſſimus; quibusque gradibus nobis tantarum virtutum acceſſiones fieri poſſint, è quibus ſimilitudines ducere volumus: apud omnium animos ea, quæ propoſui, vera eſſe, declaratum relinquam. Hinc fiet, vt ego ea de imitatione apertè, manifeſtè, dilucidè dicam: quę hactenus obſcura, incognita, concluſa fuerunt. Verùm quid erit difficilius quid etiam maius, quàm eam opinonem de imitandis omnibus euellere? quæ & ſi naturalem eloquentiæ candorem inficiat, eiusque clariſſima lumina propè extinguat; ijs tamen rationibus, eòque argumentorum acumine inſtructa, non ſolùm in leuiter peritæ multitudinis, ſed etiã in doctiſſimorum hominum menteis ita irrepſit; vt ego, qui ſemper diſcere, qui etiam ingenuitatem, & ruborem meum verborum modeſtia preſtare cupio, vix audeam dicere quid ſentiam. Et quanuis omnis compoſitio in aliquo triũ generum, nempe in demonſtratiuo, in deliberatiuo, aut in iudiciali eſſe debeat: atque in aliquo trium dicendi generum; quorum aliud ſummiſſum, aliud temperatum, aliud graue eſt: atque in aliqua miſtione earum idearum orationis, de quibus & Demetrius Phalereus, & alij, ſed poſtremò Hermogenes accuratius ſcripſit: non eſt quòd à me omnia hæc, ſed ea quæ maximè neceſſaria ſunt, alioque ordine ab eo, quem a veteribus illis accepimus, expectetis. Non quò velim ab eorum optimè inuentis recedere: ſed quoniam & ea quæ omittam, omnium auribus trita ſunt: & ea, quæ ſuſcipiam, aut ab illis non abſoluta, aut potius mentibus, quàm manibus ſcriptorum tradita.

Tria genera cauſarum.

Tria genera dicendi.

Demetrius Phalerius.

Hermogenus.

Si

Si enim referemus animum ad ea, quæ prætermittere inſtitui, clariſſima dabunt ſigna, Rhetores magis rationem doctæ traditionis quàm vtilitatis habentes, totum oratoris officium in Demonſtratiuo, aut Deliberatiuo, aut Iudiciali verſari putaſſe. id quidem verum eſt, ſed mihi videtur vltimo loco in cogitationem ſcribentis incidere. Non enim cum aliquid literis conſignare volumus, demonſtratiuum, aut deliberatiuum, aut iudiciale genus continuò animum percutit: ſed Materies ſcriptioni propinquior: quæ deinde, vbi percepta, & cognita eſt, pro ſua natura, proque ſcribentis arbitrio ad aliquod trium generum reduci poteſt. Nam antequàm calamum ſcripturus corripiam, ipſa materia, vt cauſa me ad ſcribendum impulit; Regis virtutes laudare; Artem hanc ſuadere; Me ab obtrectatoribus defendere: mox tria illa genera in mentem venerunt. Pari ratione docet nos Cicero in Oratore quid tenue, quid grandiloquum, quid intermedium genus dicendi ſit: nullum tamen horum primum eſt quod nobis occurrat. quid? nonne ipſemet Cicero in eodem libro dicit.

Materies ſcriptionis priùs quàm aut genus cauſæ, aut genus dicendi, in orationibus componẽdis mentẽ oratoris ſubit.

Cicero in Oratore.

Quoniam tria videnda ſunt oratori, quid dicat, & quo quidque loco, & quomodo; dicendum omnino eſt, quid ſit optimum in ſingulis. 201

Quod in oratorijs Antonius ſæpe monet, in eo p̄ſertim loco. Antonius

Hoc enim primum præcipimus, quaſcunque cauſas erit acturus, vt eas diligenter, penituſque cognoſcat. 117 *Et quamuis de tribus his dicendi generibus dicturus non ſim eo ordine, quo ille vſus eſt, qui maxime potuit; nihilominus cum de Aſſumptionibus, atque de dicendi vijs mi-*

hi ſermo erit, non ſolùm ea aliquo modo nudabo, quibus poſ-ſint humilia ſummiſsè, & ſubtiliter; grandia grauiter; mediocria temperatè dici: ſed ea dabo delibanda, quibus humilia extolli, grandiaque deprimi poſſint. Quare animaduertendum eſt ea, quæ de his in Oratore docet Cicero, nõ eſſe omnino eodem modo ſemper accipienda, quo ſe offerunt, cum dicit.

Cicero in Oratore.

106 ,, *Js enim eſt eloquens, qui & humilia ſubtiliter, & magna*
,, *grauiter, & mediocria temperatè poteſt dicere.*

humilibus tamẽ in oratorijs libris locum non dat, cum dicit.

140 ,, *Sumendæ autem res erunt, aut magnitudine præſtabiles,*
,, *aut nouitate primæ, aut genere ipſo ſingulares: neque enim*
,, *paruæ, neque vſitatæ, neque vulgares admiratione, aut*
,, *omnino laude dignæ videri ſolent.*

At in ijſdem libris, vt ſummiſſa mirabiliter dicantur, his verbis præcipit,

108 ,, *In eloquentia autem multa ſunt, quę teneant, quæ ſi om-*
,, *nia ſumma non ſunt, & pleraque tamen magna ſunt, ne-*
,, *ceſſe eſt ea ipſa, quæ ſunt, mirabilia videri.*

Quo præcepto videtur magis quàm ijs, quæ proximè vidimus, ad Jſocratis ſententiam accedere. Is enim oratoris proprium dixit parua magna magna parua facere.

Iſocrates.

Quid dicam de JDEIS ORATIONIS, de quibus tam accuratè Hermogenes, ſed multo ante Phalereus? ſine quibus nulla imitatio rectè fieri poteſt. Hęcne, de quibus dicturus ſum, ad eorum præcepta perducam? Ego profectò ſi abſolutionẽ, ſi perfectionem in ipſis deſidero, à qua me longè abeſſe confiteor, facio impudenter: mihi tamen,

Hermogenes. Phalereus

qui

qui ſemper ſolidā magis vtilitatē, quàm doctrinæ admirationem perſecutus ſum, ſi ab ipſis defecero, ignoſci cupio. Diuidit enim Hermogenes, ut de hoc, qui poſterior fuit, loquar, eas, quas orationis Ideas appellat, in multa capita: quarum ſeptē illa prima ſunt, quę etiam in alias partiuntur ſpecies. Σαφήνεια, μέγεθος, κάλλος, γοργότης, ἦθος, ἀλήθεια, δεινότης. *vultq; vt in qualibet octo conſyderentur: Sententia, Methodus, Locutio, Figuræ, Membra, Compoſitio, Quies Numerus. Ex quibus partibus quælibet earum effloreſcit, quas orationis ideas nominat: Atque vt nota extet Hermogenis doctrina, atque cauſa, quamobrem a grauiſſimo authore diſceſſerim, hæc primùm accipite. Hominis, aut equi, aut leonis tota illa forma; qua ipſum hominem, aut equum, aut leonem certa notione a cęteris animātibus internoſcimus: ex multis partibus quadam propria forma differentibus; cum tota tamen illa forma, quæ aſpectum hominis, aut æqui, aut leonis præſefert; congruentibus efficitur. Quid enim aliud hominem (vt ita dicam) exteriorem conſtituit; quàm caput, collum, brachia, manus, digiti, pectus, dorſum, cæteraque huiuſmodi? veruntamen partes hæ ſingulæ magnas inter ſe diſſimilitudines habent. Sunt enim inter ſe propria forma diſſimillimæ. At ſingulis quædam proxima eſt cognatio ad totam formam hominis conficiendam. Quid vides in capite pręter cutem manibus ſimile? Manus tamen, non pes equi, aut leonis accedit ad humanum caput, vt conformetur homo: atq; ut rectè conſtituatur, ad viri caput non apponas pueri, ſed viri manus, neque locum manus caput occupet, Hæc igitur*

Hermogenes.

Ideæ Orationis.

Septē prima capita idearum orationis.

Octo in ſingulis orationis ideis cōſideranda.

Phalereus. Hermogenes.

prudenter vidiſſe puto Phalereum, & poſt hunc Hermogenem: Nam quemadmodum non poſſumus arbitrari ſatis eſſe pictori, cum leonem pingere vult, cuius ſingulas partes nunquam oculorum ſenſu perceperit, confuſam quandã leonis informationem; qua ſciret eum quatuor ire pedibus, aut iubas habere; quoniam neque equi forma ab his duobus diſſentit: Ita eloquentiæ pictor confuſis illis præceptis de Demonſtratiuo, de Deliberatiuo, de Iudiciali, aut de tribus dicendi generibus, humili, magnifico, mediocri: tantum abeſt a vero in ſingularum partium formis effingendis, ex quibus tota exiſtit magna forma; vt etiam in eum errorem ſæpe incidat, vt aut equum pro leone pingat; aut in leonis figura multa etiam, quæ ad bouem, atque ad capellam pertinent, immiſceat. At quid latinæ eloquentiæ fieret? Si Cicero minutarum etiam formarum diligentiam æque in ſcriptis ſuis, ac in arte tradita omiſiſſet? Multum igitur debemus Demetrio, multum etiam Hermogeni: a quibus formarum cognitionem accepimus. Sed (vt fatear) ita accepimus, vt potius quid quælibet ſit, quàm quomodo vnaquaque poſſimus vti, aut ſimplici, aut miſta, ex eorum præceptis cognoſcamus. Atque vt notum ſit me verum dicere, ſumamus digitum: atque ex ipſius exemplo quæ, & qualis ſit aliqua formarum; quæ pars eſt; deguſtemus. Nempe vt in digito os quoddam eſt, quod ſuſtinet, non eadem ratione, qua brachij, qua capitis os: cuius natura quandam vim a ſe habuit, vt caro, vique cutis, quam indueret, eius generis eſſent, quod ad formandum digitum eſſet aptius; easque in digiti figuram proportione oſſis oblon-

Eloquentiæ pictor. (margin, beside "bus diſſentit")

Cicero. (margin, beside "pellam pertinent")

Phalereus & Hermogenes in quo defecerunt. (margin)

gam

gam duceret: atquè partes digiti, quæ internodia nominā tur; tres præter eas, quæ pollicis ſunt, ita compactas eſſe voluit, vt neruis connecterentur, vt etiam colluderent, in extremoque digiti ad ipſius firmitatem, pulchritudinemque vnguem collocauit. ex qua tam concinna compoſitione ad totius digiti formam conſtituendam, mirus quidam conſenſus, numeruſque exoritur. Ad huius ſimilitudinem, formę, quæ partes ſunt, ab Hermogene conſiderari videntur: nam vt octo in digito videntur, os, ratio inducendi carnem, cutisque ad digiti formam pro oſſis portione: ipſaque caro cum cute: figura illa oblonga, internodia, nerui, vnguis, iucundusque ex omnibus conſenſus: Ita Hermogenes in qualibet forma octo docet: ſententiam, methodum, verba, figuras, membra, compoſitionem, quietem; quæ etiam firmitas appellari poteſt, & numerum. nihilque de ijs, quæ ſcriptioni vicina ſunt, agens, æſtu quodam ingenij ita ad ſumma rapitur: vt in vniuerſo rerum genere; neque in eo ſemper, quod materiæ finitimum eſt; ſed in altiſſimo verſetur. Vt enim aliquando Demoſthenis ſimulachrum pingere poſſimus, non decet Demoſthenis lineamenta, neque etiam ſemper aliquid de homine: ſed aut de animante; aut etiam de ſupremo illo, in quo terminatur aſcenſus. Quid multa? quanuis Hermogenes ſtatim in principio de Ideis poſt tradita in Rhetoricis præcepta dicat: ſi quid aliud neceſſariò adhibendum orationi ſit, puta re formas adhibendas eſſe; nihilominus eas ita docet, vt videantur res eſſe, quæ primùm ſcribentibus occurrant. Natura tamen nos admonet, vt qui veſte eget, primùm vtilitatem

Octo in digiti cōſtitutione conſideranda.

Octo in qualibet forma orationis ab Hermogene conſiderata.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

litatem, quæ ex veſte proficiſcitur, quàm veſtis formã cogitatione percipiat: & ille qui naui, aut domo indiget, primùm de nauis, aut domus commoditate cogitet; deinde de forma nauis, aut domus: quam etiam ex alijs ſumere poteſt.

Taxat Hermogenem.

Quid igitur? Hermogenes formas orationis abſque præceptis rerum, quæ formis ſubſunt, ita tradit; vt ſi a formarum pulchritudine, non a materia aliqua impellente duceremur. Vtilius fortaſſe nobiſcum egiſſet, ſi de ſententijs, quæ primum locum in formis tenent, artem aliquam primùm tradidiſſet: nam cum ſententiæ, quas in formas conijcit, ſint rerum quædam genera, ſæpe etiam ſuprema, atque ipſis formis priores: fieret, vt quælibet materia, quam literis mandare vellemus, ad ſuũ genus prius reduceretur, quàm de forma aliqua ei accommodata nobis eſſet cogitatio.

Nouem ſententiarum capita in ſingulis formis exempta, ad quas materiæ omnes oratori propoſitæ tanquã ad genera cõtendũt.

Atque ſi diligenter in ſingulis formis inſpexeris, nouem tantùm ſententiarum capita eximere poteris: ad quas res omnes, quæ penè infiniti ſunt numeri, tanquam ad genera tradi poſſunt. Sententiæ itaq; ſunt PVRÆ; quæ ASSVMVNT: DELECTATIONI ſeruientes: SEVERÆ: GRAVES: MODESTÆ: GLORIOSÆ: EXPROBRANTES: ACCVSANTES. Sit tibi quæuis propoſita materies, eam ad aliquam harum, quæ nouem ſunt, adiungere certe poteris. Verùm hanc quoque dicendi rationem, inanem non aliter reperio, ac ſi pictor, qui nunquam Platonem vidiſſet, quia ei tantùm perſpicua eſſet ſcientia de homine, vellet ex cognita generis definitione manum ad veram Platonis effigiem dirigere. Altius etiam aſcendit ali-

quando

quando Hermogenes: quoniã eandẽ purã ſententiam pluribus formis ſubdit, vt iis, quæ appellantur καθαρότης, εὐκρίνεια, ἀληθινὸς λόγος, quanuis dixerit εὐκρίνειαν potius in methodo uerſari. Sapiẽter Hermogenes, vt qui nouit ſciẽtiã nõ in iis, quæ oriuntur, & occidunt: ſed in æternis poni. res enim, quę multę ſunt, ad puram ſententiam, quæ omnibus genus eſt, redigit: vt ſi quis hominem, leonem, equum, multasque huiuſmodi parteis ad vltimum genus reſtringeret. Conſtitue te in altiſſimo purarum ſententiarũ genere, meq; demiſſum, atque abiectum inter res indiuiduis finitimas tanquam inter parteis vltimas, immo vero inter rerum quaſi indiuidua, a quibus perſonas, & tempora remouerimus, deſpice: ſitque tibi æque, ac mihi narrandum de re aliqua: ſit etiam locus deſcribendus, aliaque huiuſmodi. Tu ex doctrina Hermogenis tantùm ſcire poteris harum omnium partium genus eſſe ſententiam puram, qui certos tibi fines non conſtituit: extra quos exire non poſſis, cum tibi iam formas dederit: in quarum qualibet eam ſententiam, quam puram nominauimus, incluſit. Rurſum narrabis tu bellum geſtum, perinde ac ſocietatem initam? iter factum? omnia enim hæc narrationis partes eſſe debent, cuius quidem pura ſententia ſupremum genus eſt. Locumque ſylueſtrem, vt arboribus conſitum? aut vt vrbanum? aut etiam vt regium deſcribes? atque hęc quanuis ad locorum deſcriptionem veniant: ipſaque locorum deſcriptio ad ſententiam puram, quoniam hæc omnia purè narrantur, & deſcribuntur: non ſunt tamen omnino eiuſdem rationis, non ſunt. Ego vero, qui demiſsè ſedeo, etiã

Eadem pura ſententia pluribus formis ab Hermogene ſupponitur.

Scientia non in caducis, ſed in æternis collocanda.

Contra Hermogenem.

quaſi humi ſtratus, ſi obſeruauero in probatiſſimis authoribus, quo ordine bella geſta, quo' ſocietates initæ, itinera facta narrantur: qnomodo etiam locus ſylueſtris; is, qui arboribus inſignis eſt: vrbanus; regius deſcribantur; magis ad referendam illam vetuſtatis reuerentiam accedam; quã ſi liberè, ſine duce, & ſine norma vagabor. Solet tamen nonnunquam Hermogenes ad vltimas parteis deſcendere: doctè quidem, ſed videamns quàm vtiliter. In ea enim forma, quæ σεμνότης appellatur, quatuor ſententiarum gradus conſtituit: atque in primo eas ſententias collocauit; quę de Dijs ita agunt, vt nullis hominis ſint præditi membris, nullo mortalium motu ferantur: eiuſmodi quædam in Timæo Platonis leguntur: In ſecundo eas, quæ non deos, ſed diuina continent; vt ſi de cęlo, de ſtellis, de toto orbe, de quatuor temporibus, de elementis, de fulminibus, de pluuijs, de grandinibus, de ventis, de terremotibus ſermo fieret: In tertio ponit etiam diuina, at ea tantùm, quæ in homine eſſe poſſunt; vt orationem de animorum ęternitate, de virtutibus, de ſcientijs: aut etiam de ijs, quę generatim dicuntur; vt de republica, de bello, de pace: Quarti gradus eas ſententias eſſe vult, quę de rebus humanis ſingillatim tractant cum quadam ſingularium rerum amplitudine; vt de viris clariſſimis, de rebus mirabiliter geſtis alicubi. in quibus ſexcenta alia numerari poſſunt. Veruntamen cum Hermogenes loquitur de methodis, de locutione, de figuris, alijſque partibus, ex quibus σεμνότης exiſtit, non aliter loquitur, ac ſi cuilibet gradui ex quatuor eadem decora eſſent. Nihilominus ſi animnm conuertemus ad authores

Quatuor ſententiarum gradus in ea forma, q̃ σεμνότης appellatur, ab Hermogene cõſtituti.

Carpit Hermogenem.

authores probatiſſimos; eos certè non ſolùm ſententias cuiuslibet gradus diuerſis tractaſſe modis; ſed etiam ea, quæ diuerſa in quolibet gradu ſunt, magna diſſimilitudine literis, atque immortalitati tradidiſſe videbimus. Quibus de rebus minutatim noluit agere doctiſſimus Hermogenes: nõ ſolùm, vt puto, politioris, breuiorisq́; traditionis cauſa (quoniã ſciẽtia ex rerũ remotioribus cõficitur generibus: genera autem quò remotiora, eò pauciora ſunt) ſed territus rerũ propè infinita multitudine: quę nulla alia ratione, nulliſq́; firmioribus vinculis comprehendi, conſtringiq́ue poteſt, quàm noſtris locorum, imaginumq́ue ordinibus.

Excuſat Hermogenem.

Scientia ex rerum remotioribus conficitur generibus.

Atque vt aperiendi ea, quę pollicitus ſum, initium faciam: ad Imitationem hæc maxime pertinere arbitramur. CONSILIVM: MATERIAM: AFFECTIONES: COMMENTA: ASSVMPTA: ARGVMENTA: VIAS DICENDI: ORDINEM: VERBA: FIGVRAS. DICTIONVM MEMBRA: VINCVLA: COMPOSITIONEM: EXTREMA: NVMERVM: HARMONIAM. Quorum vnumquodque vno ſaltem exemplo in apertum referam. Non enim de his artem hac oratione abſolutam habebitis: quam in magnum illud opus reijcio: ſed tantùm de ſingulis partibus, quantũ vobis ad id cognoſcendum, quod ad incredibilem admirationẽ effertur, ſatisfacere poterit. Quæritis, cur Naturam non appoſuerim? Natura profectò, quod alio nomine Ingenium appellatur, de quo proximè diximus, cum de talentis, deque Promethei ferula agebamus, non aliter eſt cuili-

Ad imitationẽ quæ maximè pertinent.

Ingenia ſingulorũ hominũ propria & diſſimilia ſicut facies.

bet propria, ac ſua cuique facies. Perinde enim naturæ in hominibus, atque facies, aliqua re differunt. Quare ſi duo, aut tres, aut etiam viginti hac opinione, atque hac voluntate congruerent, vt Cicero, aut Virgilius imitandus eſſet: eſſentq́ue ijsdem inſtructi rerum, verborumq́ue, artificiorumq́ue copijs; nihilominus cum ijs ſingulis vna, eademq́ue res eſſet ad dicendum propoſita; quilibet in oratione, aut carmine, quod feciſſet, ea natura differret ab alijs, quæ a nullo eripi poſſet. hic enim haberet lenitatem: ille aſperitatem: alius ſiccitatem: alius filum vberius: alius acumen: alius vim: alius ſonitũ. Dicam etiam quod maius eſt, quod mirabilius: quemlibet a ſe ipſo etiam differre, nõ tamen natura, qua differt ab alijs; quæ quidem vna, eademq́ue eſt: ſed quadam opinione: quam quotidie in nobis conuertimus. ſi enim id, quod hac hora monumentis trado, traderem alia, diuerſis modis, diuerſisq́ue verbis profectò traderem. Cape annulum, multaq́ue ſigilla in eiuſmodi cera imprime: non omnino hoc ęque, ac illud ſigillũ impreſſum videbis. Et ſi de ſigno differentiam videre non poteris, certe de manu; quę grauius, aut leuius preſſerit; videbis. At ſi nos a nobis ipſis, vt Plato, vt etiam Ariſtoteles ſenſit, aliquo modo in diuerſis temporibus deſciſcimus, non mirum ſi ab alijs natura ipſa diſtamus. Neque vnquam pictorem videbis in ſimulachris aut ex vero, aut ex ficto ductis rem ipſam tantum imitari poſſe, quin propriam naturam adiungat, quin etiam in imagine alterius non ſit ſui ſimilis. Vidi enim, vidi ſępe Regis imaginem pictoris naturam continere: ex quo potuiſſes

Quilibet homo a ſeipſo ẽt variis tẽporibus differt nõ ingenio aut natura, ſed opinione.

Plato, & Ariſtoteles.

tuiſſes etiam ratione animi percipere, pictorem natura aut lętum, aut triſtem eſſe. At quale cenſetis fuiſſe Phidię ſimulachrum? quod ipſe ſui ſimile in Clypeo Mineruæ cum ſua natura incluſit? Sed nunc non eſt animus de ijs dicere: qui ſuapte natura, ſine cuiuſquam imitatione aliquid literis mandant: ſed de ijs tantùm, qui ſibi in ſcriptis ſuis alienum exemplum proponunt. Natura igitur in horum numerum (meo iudicio) non venit: quoniam nullo modo Rex ex fabrica mea Ciceronis naturam effingere poterit: nemo enim poteſt eſſe ſui diſſimilis: immo vero neque ipſe Cicero, cum mentem, manumque ad Demoſthenis formã referebat, eum ita expreſſit, vt propria natura locum non haberet. Conſilium tamen, quod ex natura oritur, imitari poſſumus. Eſt enim norma illa prudentiæ: ad quam cum duo, aut tria dicenda occurrunt, vnum ex ijs, quia videmus Ciceroni, aut Virgilio in re ſimili, aut finitima magis placuiſſe, reuocamus. Atque vt iam ad ea veniamus, quæ ſemper cum ſcriptis eſſe putamus. Materia in primis conſideranda eſt: quę aut ſolitaria eſt, aut cum affectione aliqua coniuncta. Solitaria eſt, qualis a philoſophis, aut a medicis, aut ab alijs artium magiſtris ſuſcipitur. Coniuncta eſt, cum ipſa a ſcholis eruditorum ſub ſtylum oratoris, aut poetæ, tanquam enſis a fabri officina in manum militis venit. Nam hæc materia de animorum immortalitate a Pythagoreis, atque a Platonicis haberi poſſet ratione, atque coniectura; tum quia animus noſter reminiſcatur; tum ex eo, quòd æternis ſemper nitatur rebus. hanc etiam de morte ex philoſophis, atque ex medicis

Phidiæ ſimulachrũ

Nemo ſui diſſimilis.

Natura vnius nõ ab altero imitabilis

Conſiliũ recipit imitationem.

Conſiliũ norma prudẽtiæ.

Materia aut ſolitaria, aut cõiuncta.

Materia a magiſtris artiũ nuda, ab Oratoribus atque poetis cũ affectionum motu pertractãtur.

definitione tantùm cognoſceremus. mortem enim dicerent caloris, quem a natura habemus, eſſe interitum. cauſa enim vitæ eſt nutritio, quæ calore perficitur. Non eſt igitur materia aliqua a doctrinis expectanda cum affectione, ideſt cum timore, audacia, amore, odio, miſericordia. Verùm vbi orator, aut poeta eandem aggreditur, iam times, audes, odio, aut amore proſequeris, miſericordia commoueris. non enim doceret eloquens animis ęternitatem eſſe, niſi etiam nos ad ęterna hortaretur; & quia hortari non poſſet, quin nos ęternorum deſiderio incenderet: idcirco deſyderij motu hanc materiam locupletaret. Pari ratione ſi de morte diceret, contemptum rerum mortalium immiſceret. Quare ſciendum materiam aliquam non poſſe ab oratore, aut a poetà tractari ſine affectione: neque affectio oſtendi ab aliquo eorum ſine materia. quis enim vnquam timore, aut deſiderio affectus eſt: qui alicuius rei timore, aut deſyderio affectus non ſit? Id igitur quo afficimur, cauſa affectionis eſt, atque materia. Sciendumque eſt vnam, eandemque materiam plureis affectiones poſſe ſuſcipere, vt hæc de morte: quæ aut lachrymas, aut celebrationem, aut etiam exhortationem habet. cum lachrymas, miſericordiam; cum celebrationem, lętitiam, quòd numerum cęleſtium adauxerit: cum exhortationem, deſyderium nobis affert. Mopſus apud Virgilium in morte Daphnidis, lachrymas: Menalcas, lætitiam: Anchiſes deſyderium, atque adeò deſperationem ob Troiæ excidium oſtendit. Sed deſyderium illud purum, atque ſimplex, terrenorumque contemptum, ne Cyrus qui

dem

Mors caloris naturalis interitus.

Nutritio calore naturali perfecta, cauſa vitæ.

Affectio ſupponit materiã, vnde ea prouenit affectio.

Eadẽ materia plureis affectiones poteſt ſuſcipere.

Mopſus apud Vir.

Menalcas apud Vir.

Anchiſes apud Vir.

dem maior apud Xenophontem prę ſe tulit, ęque ac Lodouicus ille Lotaringus iuuenis florentiſſimus, fortiſſimusq́;, cuius verba quędam Chriſtiano principe digna, quoniam locuſ hic fecit, vt mihi in mentem venirent: dabis tu quidem veniam IOANNES Cardinalium ſplendor, qui iuueni iam diuino frater fuiſti, ſi ego ea obiter exempli gratia referens te in luctum vocabo. Hunc igitur dum Neapolitani belli caſus militum lachrymis eriperet, dumq́ue exigua in ſpe haberet animam, ferunt ad circunſtantes hæc pauca dixiſſe. Quid lugetis chari? quid lugetis? quid preſſis flebilibusq́; modis de letitia mea tantum detrahitis? me non amittitis, præmittitis tantùm. quid? me mortalem mors ad immortalitatem traducit. immo verò dulcis hæc migratio vita pulchrior, non mors. corpus interit, animus ad aliam vitam, vbi ſemper viuet, effertur. animus inquam ſempiternus ſempiterna molitur. Ego profectò corpus non ſum: cuius paruam mihi vſuram hactenus natura, vt ars veſtium corpori dedit. Sed corpus potius res mea fuerat, quàm quod ego. hoc enim vtebar tantùm, quẽadmodum & corpus ipſum veſtibus vti ſolebat. Quæ vt corporis res fuerant, non ipſum corpus: ita corpus res animi, non animus fuit. Quod mea veſtis fuit, me aut eſſe, aut fuiſſe putatis? inſpicite me, voſq́ue ipſos in funalibus illis cereis; quæ incenſa circunſtant: dicetisne ignem, qui in ſummo ipſorum ad ſumma dirigitur, funale eſſe? aut funale ignem? Ignis profectò tandiu illigabitur funali, perinde vt ego corpori aſtrictus fui, quandiu cera ipſum alet, ni aliqua vi ſeparetur. At cera conſumpta,

Cyrus maior apud Xenophõtem.

Lodouicus Lotaringus.

Ioannes Lotaringus Cardinalis.

Verba generoſiſſima Lodouici Lotaringi bello Neapolitano morientis.

pta, aut igne ab illa vi aliqua pulſo, ipſum, vt me ſummã petentem, ſi relinqueremus ſcintillam, ad inſpiciendum videretis. Excluditur enim ignis a perſpiciendo, cum a materia diſcedit: cæcusq; atque ab aſpectu remotus ad altiſſimum puri ignis elementum ſeſe corripit: quomadmodum ego animus vigens, non occidens cum corpore, è corpore elabens ſine ſenſu veſtro ad omnium animorum parentem, principiumq́ue altius, quàm vt me vos tenebris oppreſſi ſuſpicere poſſitis, aduolabo. Mortem igitur ducam ego in malis? cum ego propter mortem requieſcam a malis? Et quanuis omnia in terris mala non ſint, ita tamen caduca, ita infirma, variaq́ue vides, vt rectè putare poſſis animi firmi, & ęterni terrarum orbem non eſſe domicilium. Tu quidem Franciſce Regum optime, vt huic regno pręeſſem volebas: At ego quotidie, immo dies noctesq; a patre noſtro cęleſti in maximis optatis petij, ut eius regnum adueniret. aduenit tandem regnum illud æternum mihi animo ęterno aptius. Nulla eſt in me contractio ex metu mortis: non me deterret mors: immo ęquiſſimo animo, flagrantiq́ue deſiderio a me expetitur. Temperauit profectò amaritiem, cum Chriſti dulciſſimum ſanguinem guſtauit; cum per omnes Chriſti venas cucurrit. Hinc oculi recuſabunt dare morti hoſpitium: quam Chriſtus, vt particeps regni ſui fierem, oculis ſerenis excepit, brachijsq; expanſis amplexus eſt? Optabiliter ineundum eſt iter hoc, ne inuiti videamur ad eum accedere: cuius ęterna gloria quotidie illuſtrari petimus. Valete Galli, diemq́ue meum in veſtra nocte concinite: tenebras veſtras amplius non cerno,

cerno, non ſentio: Sileo. Hæc ille, quibus nonne & mortis contemptionem, & immortalitatis deſiderium incredibile reliquit? Sed quid ago? penè hiſtoriam in oratione incluſi. Sæpe etiam fit, vt eloquens ad vniuerſam illam generis vim materiam non aduocet: ſed in affectionum partibus magis verſetur. Quare cum Melibęus apud Tityrum conqueratur, ad quæſtionem illam infinitam de exilio ea, quæ in illis carminibus dixit, non adiunxit.

Ad vniuerſam generis vim non ſemper materia aduocanda.

Melibæus ad Tityrũ apud Virgilium.

Nos patrię fines, & dulcia linquimus arua,
Nos patriam fugimus.

Non enim diſputauit quid eſſet exilium, quod paſtoris non fuiſſet: ſed potius in conqueſtione, quam ex miſericordia commouenda exemit, commoratus eſt: quam etiam magnopere adauxit ex Tityri tranquillitate, cui melius fortuna conſuluerat. Non redigitur etiam materia finita ad infinitam, cum omnium iudicio probabilis, laudabilisq́ue eſt, qualis illa eſt.

Materia finita nõ ſẽper ad infinitam redigenda.

Aeneas apud Virg.

O terq́ue quaterq́ue beati.

Poſitum enim eſt pulchrius eſſe mori pro patria, quàm in naufragio. quapropter Virgilius Æneæ periculum ad uniuerſam materiam de naufragio, aut glorioſam Hectoris, Sarpedoniſq; mortem, ad illud totum mori pro patria, nõ retulit. Illa ẽt Veneris lamẽtatio finita materia delectatur

Veneris lamẽtatio apud Virgilium.

Quid meus Æneas in te committere tantum?

Quæ & ſi immoratur in Iouis promiſſis de futuro Romano imperio, non tamen ad abſolutam quæſtionem promiſſorum Iouis ſeſe conuertit; quoniam non docet, quæ ſit promiſſorum religio: neque enim opus eſt vti infinito; quo ma-

teria

teria exactiùs docetur, cum aliquis Deus alium Deum alloquitur; quoniam vtrique omnia nota eſſe debent: aut cum homo Deum: ſed tantùm cum homo ſermonem habet cum homine; neque ſemper, vt ex Melibæo, atque ex Ænea percepimus: aut Deus cum homine. Legimus tamen Hiarbam hominem, ſed amentem hæc Ioui dixiſſe, non tamen quia docere velit.

Hiarbas apud Virgilium.

,, *Aſpicis hæc? an te genitor, cum fulmina torques,*
,, *Nequicquam horremus? cæciq; in nubibus ignes*
,, *Terrificant animos? & inania murmura miſcent?*

Aeneas apud Vir.

Eiuſmodi etiam illud eſt

,, *Iuppiter omnipotens, ſi non exoſus ad vnum*
,, *Troianos: ſi quid pietas antiqua labores*
,, *Reſpicit humanos.*

Anchiſes apud Virgilium.

At vide ea, quæ Anchiſes iam penè quidam Deus Æneæ reſpondeat a toto illo rerũ principio incipiens docẽdi cauſa.

,, *Principio cælum, ac terras, campoſque liquentes.*

Vigintiquatuor apud Ariſtot. animorũ affectiones.

Animorum autem affectiones, ſi riſum, de quo Ariſtoteles in poeticis, in earum numerum retulerimus: quas idem in Rhetoricis abunde docet: atque ſi a locis riſui, lætitiæq; contrarijs lachrymas addiderimus, tanti philoſophi iudicio, quatuor & viginti adnumerari poterunt. Sunt enim hæ in Rhetoricis: Ira, mãſuetudo, amor, odium, timor, fiducia, pudor, impudentia, gratia, nõ gratia, miſericordia, indignatio, inuidia, lætitia, æmulatio, contemptus, delectatio, triſtitia, deſyderium, auerſio, ſpes, deſperatio. quas omneis aliquando Cicero in duo tantùm capita confert, vt in principio de Oratore.

Omnes animorũ affectiones in duo capita a Cicerone collatæ.

Et

Et omnes animorum motus, quos hominum generi natura tribuit, penitus pernoſcendi, quod omnis uis, ratioq́ue dicendi in eorum qui audiunt mentibus, aut ſedandis, aut excitandis exprimenda eſt. 86

Sedationem enim, aut excitationem capita facit, quoniã ad ſedandum ea, quæ mitiora alibi appellat, ut manſuetudo timor, pudor, & reliqui motus, qui animum deprimunt: ad excitandum uerò aut duriora, aut ea, quibus tollitur animus, reduci poſſunt, vt ira, amor, cæteraq́ue huiuſmodi. Aliquando quatuor omnium motuum genera conſtituit, vt in Partitionibus.

Sedatio, & Excitatio, capita oium animi affectionũ.

Quatuor oium animi motuũ genera.

Motus animi incitatio, aut ad voluptatẽ, aut ad moleſtiã, aut ad metum, aut ad cupiditatem. tot enim ſunt motus genera: partes plures generum ſingulorum. 230

Fit etiam, vt aliquando quoſdam animi motus Cicero nominet: de quibus Ariſtoteles nominatim mentionem non facit, vt in ijs de Oratore, cum dicat.

Quidam motus animi a Cicerone nominati ab Ariſt. non expreſſi.

Cicero de Oratore

Maximaq́ue pars orationis admouenda eſt ad animorum motus non nunquam aut cohortatione, aut commemoratione aliqua, aut in ſpem, aut in metum, aut ad cupiditatem, aut ad gloriam concitandos, ſæpe etiam a temeritate, iracundia, ſpe, iniuria, inuidia, crudelitate reuocandos.

Verum ſi rectè cõſyderabimus, iiſdem locis gloria excitabitur, quibus delectatio, atque æmulatio; iiſdem etiam locis temeritas, iniuria, crudelitas remouebuntur, quibus ira. atq; hæc tria potius ſedari, quã moueri debẽt. Idẽ in Bruto.

Cicero in Bruto.

Gaudet: dolet, ridet, plorat, fauet, odit, contemnit, inuidet, ad miſericordiam inducitur, ad pudendum ad pi-

E gen-

„ gendum, iraſcitur, miratur, ſperat, timet.

„ Quorum motuum fauere ad gratiam; pigere, cum moleſtiam ſignificat, ad auerſionem; cum autem cum malo, damnoq́ue iungitur, ad triſtitiam; mirari ad delectationem referri debent. Atque his ſocietatem, quæ a locis odij, atq; contemptus moueri poteſt, immiſcuit in Oratore, vbi leguntur hæc.

Cicero in Oratore.

Nec verò miſeratione ſolùm mens iudicum permouenda

" eſt, qua nos ita dolenter vti ſolemus, vt puerum infantem

" in manibus perorantes tenuerimus, vt alia cauſa excitato

" reo nobili, ſublato filio paruo, plangore, & lamentatione

" compleremus forum. Sed etiam eſt faciendum, vt iraſca

" tur iudex, mitigetur, inuideat, faueat, contemnat, admire

" tur, oderit, diligat, cupiat, ſatietate afficiatur, ſperet, me-

" tuat, lætetur, doleat. qua in varietate; duriorum, accuſa-

" tio ſuppeditabit exempla; mitiorum, defenſiones meæ.

Sigulorum igitur motuum ſinguli loci pernoſcendi ſunt: eorumque tractationes. Ab Ariſtotele enim vniuſcuiuſque penè motus tantùm locos habemus: qui pluribus alijs ſpecie differentibus ſubſeruire poſſunt. Vt locus ille delectationis a rerum futurarum ſpe, non ſolùm ad literarum, ſed etiam ad futuri regni gloriam, atque ad oblectationẽ, quam ex filijs expectamus, ad multaque alia eiuſmodi, ex quibus voluptatem aliquando eſſemus capturi, pertinet. Et quamuis Corydon apud Virgilium, dum allicit puerũ ad poeſim, occultet futuram gloriam, qua circunfluere poſſet, ſi carminibus daret operam: nihilominus apertè a futura delectatione eum commouere conatur, ſic

Corydon apud Virgilium.

Huc

Huc ades o formoſe puer, tibi lilia plenis. ,,
Ecce ferunt Nymphæ calathis, ,,

& reliqua, quæ ad latinæ linguæ ſyluulam attinere arbitramur. Sed alibi a regno futuro Mercurius apud Virgiliū.

Quid ſtruis? aut qua ſpe Libycis teris ocia terris? ,,

ſed in ijs, quæ ſequuntur, inuidiæ ardorem extinguit

Si te nulla mouet tantarum gloria rerum. ,,

& quæ ſequuntur. Clarius a gloriæ regno excitat, vbi hæc, ſed admirationem adnectit. Anna apud Vir.

Quam tu vrbem ſoror hanc cernes? quæ ſurgere regna ,,
Coniugio tali Teucrûm comitantibus armis? ,,
Punica ſe quantis attollet gloria rebus? ,,

At paulo ante filiorum delectationem ab eorum futura ſpe admouet. Anna apud Vir.

Anna refert, o luce magis dilecta ſorori, ,,
Solane perpetua mœrens carpere iuuenta? ,,
Nec dulces natos, Veneris nec præmia noris? ,,

Quare in eodem libro dixit, vbi Didonem ſpes fefellit, Dido apud Vir.

Saltem ſiqua mihi de te ſuſcepta fuiſſet ,,
Ante fugam ſoboles: ſi quis mihi paruulus aula ,,
Luderet Æneas, qui te tantùm ore referret: ,,
Non equidem omnino capta, aut deſerta viderer. ,,

Sunt etiam quidam loci, qui pro perſonarum Conditione tractandi ſunt: vt conqueſtionis locus ille, quem philoſophus a corruptione rerum nominat: Cicero, per quem quibus in bonis fuerint, & nunc quibus in malis ſint, oſtenditur. Quoniam Æneas apud Virgilium Hectorem in ſomnis viſum deſcribens latiſſimè in eo vagatur loco. Loci pro perſonarū conditione tractandi. Aeneas apud Vir.

,, *Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo*
,, *Hectore, qui redit exuuias indutus Achilli*
,, *Squallentem barbam, & concretos ſanguine crines,*
,, *Vulneraq̃ue illa gerens, & cætera.*

At Euryali mater, mater inquam maximo excluſa dolore locum illum tantùm tetigit, non enim maternus dolor pvſſus eſſet, vt is tractaretur latius.

Euryali mater apud Virg.

,, *Hunc ego te Euryale aſpicio?*

Venio nunc ad eam partem, qua intellecta ſpe maxima teneor vos facillimè cogituros, me neque res falſas ſequi, neque a naturæ legibus, aut ab ijs recedere, quæ Ciceroni grauiſſimo dicendi magiſtro placuerunt. Videte igitur quam pucherrimè duo etiã alia ornamenta a natura habeamus: quorum alterum eſt mentis, alterum linguæ officium. atque id quod ad mentem pertinet, rerum eſt, aut per ſenſus comprehenſio, aut per cogitationem ficta quædam informatio. multa enim nobis depingit cogitatio, quæ vel ſine corpore ſunt, vel quæ nunquam vidimus. Quæcunque igitur ſenſus animis noſtris mandarunt, in ipſis profecto aut a vero, aut a ficto ſignata ſunt. Atque eiuſmodi ea omnia, quæ in mente quomodolibet impreſſa ſunt, ſingulis hominibus omnium gentium eadem ſunt. æquè enim Græcus, Romanus, ac Gallus tenent formam ignis, aut terræ, aut aquæ animo comprehenſam: non tamen eodem verbo effantur. Pari igitur, atque vna ratione in mentibus hominum cuiuſuis nationis hęrent rerum notiones: ſermo tamen, quò ipſæ ſignificantur, non omnibus idem eſt. Sed nunc de rerum perceptione, & quomodo ad ſimilitudinem eorum, quæ natura

Duo ornaméta a natura nobis tributa: alterũ mentis, alterum linguę officium.

Notiones mentibus impreſſę, omnibus gentibus eadem: at ſermones varij.

tura facit, opus perduxerim: qua etiam ratione ars mea (videte quid loquar) naturæ præſtet: De eo, quod ad linguã ſpectat, mox, atq; ibi quibus gradibus ad naturã acceſſerim, & quo pacto ipſam meliorem reddiderim, in pauca conferam. Nempe vt puer aliquis in ſermonem veniat, aut vt vir etiam aliquis in noua lingua ad explicandas rationes ſententiarum, quas in mente habebit, ingrediatur, quid a natura proficiſcetur, quod in opere meo naturæ ſimile non videatur? At puer ſeu vir ille nihil unquam enuntiare poterit, cuius notam prius mente non continuerit. Continemus autem mente, quæ ſenſuum fons eſt; vel quæ ipſi ſenſus nuntiarunt, vt formam domus, cęli, terræ, belluarum, hominum; vel notiones, quæ interiore tactu ſentiuntur, vt amor, odium, dolor, voluptas; vel eorum, quæ per corpus fiunt, vt locutionis, ambulationis formulas; vel eorum, quæ cogitatione informamus: quæ vel ſunt quidẽ, ſed nunquam vidimus, vt animi rationis notas; vel quæ certe eſſe poſſunt, aut potuiſſent, non ſunt tamen, neque fuerunt, vt ſi effingerem animo aliquos Herculis labores; vel eorum, quæ neque fuerunt, neque ſunt, neque eſſe poſſunt, vt cum nobis fingimus Scyllam, Hippocentaurum, Chimæram. Quare ante quàm puer, aut vir ille orationem inſtituat, vt animo eorum omnium, quę dicturus eſt, antecęptam quandam informationem habeat, fo mulaſque inſitas mente videat neceſſe eſt. Neque enim poſſet horum verborum ſententiam exponere, Nutrix da mihi pomum; niſi & nutricis, & dandi, & mihi, pomique forma in eius animo quaſi impreſſa ſederent, & quamuis res ipſæ

Nota mẽti impreſſe præcedit enunciationẽ lingua expreſſam.

Quæ nam mente cõtinentur.

Mens, ſen ſuũ fons.

quæ-

Formulę menti impreſſę, oēs æque formula.

quædã cũ corpore, quædam ſine corpore ſint; nihilominus formularum, quę in mente ſunt, nulla eſt magis, vel minus formula, quàm alia.. Quapropter puer, cum primùm na tus eſt, non loquitur: prius enim neceſſe eſt (vt Ariſtotelē in hoc ſequamur) eum multarum rerum, multorumque verborum eas ſignificantium impreſſiones concepiſſe. ſit ta men, vt ij, qui auditus ſenſu capti a natali ſunt, etiamſi lo cutione priuentur, rerum imagines (niſi eos etiam aliorum ſenſuum officia defecerint) mente complecti poſſint, locoq́; verborum vti nutibus. Sed facite, vt in conſpectu noſtro ſint diuerſarum nationum pueri, quorum alij mentem ab omnibus rerum formis nudam, alij formis præditam, alij etiam verborum appoſitas notas habeant: ſint etiam nobis oculi ita acres, vt horum mẽtes intueri poſſint: profectò na tionum diuerſitatem, neque in ijs mẽtibus, quæ nullis imagi nibus ſignantur, neque in ijs, quæ tantùm rerum quaſi ſigil lis impreſſę ſunt, videbimus: ſed cum eorum mentes ſub aſpectum noſtrum cadent, in quibus & rerum, & verborum ſimulachra includuntur, nullam ſenſu inter rerum formas, quæ in pluribus puerorum animis ineſſent, magnã inter eas, quæ verborum ſunt, differentiam percipiemus. cum enim oculi noſtri per omnium mentes curſus confeciſ ſent, eandem formam ignis, eandem aquę in omnibus eſſe; diuerſas tamen verborum, pro quaque natione vidiſſent. O ſi mens hominum feneſtram haberet (vt cupiebat Socrates) innumerabiles profectò rerum formas ad eam ad hæreſcere cerneremus. Concipio enim animo tenellam pueri mentem (ignoſcat Plato) perinde ac cœlum, cum nubes

Subtiliſſimum figmearum.

nubes abſunt, ſerenam, deinde paulatim rerum imaginibus tanquam pulchris, multiformibusque nubeculis expleri. Similes etiam apibus, quarum vna poſt aliam in ramum volitet, formas rerum introeuntium comprehendo. Et quoniã cum aliquibus male agunt ſenſus, dicerẽt Platonici ob innatas rerum anticipationes mẽtem etiam ſine ſenſuum adiumento quædam ſibi poſſe confingere. At ille, qui eſt integra ſenſuum valetudine, vbi rerum ſigna animo tenet, antequàm loqui incipiat, tacitum ſermonem habet. Summa enim cura, ſtudioque ex ſe ipſo quærit earũ rerum notas, de quibus loqui uult; deinde eas etiam, quæ uerborum ſunt, ueſtigat; poſt a lingua oratio proficiſcitur. Natura igitur fecit in nobis mentem rerum omnium impreſſiones complectentem, easque ita omnibus gentibus cõmuneis, ut omnes nationes res ſub una, eademque forma cõciperent, diuerſum tamen ſermonis genus in illis exponendis inducerent: ad cuius ſimilitudinem ego quoque magnã mentem extra nos feci rerum omnium, uerborumque formulas continentem. differt tamen hæc, quam a natura habemus, ab artificioſa mea; quoniam illius nuntij ſenſus sũt; hęc non ſolùm ſenſuum, ſed etiam interioris mentis per ipſos ſenſus nuntia eſt. tota enim ſenſibus obijcitur, tota etiam ita ſeſe brachijs dat; ut tanquam cara, tanquam amabilis amplecti, ſtringique poſſit. Hisque (pace naturæ dixerim) ei antecedimus, & quòd interior mens hominem deficeret, niſi a pueris uſum paulatim adhiberet, in quibus pręſtare vellet, & quòd vna pluribus hominibus ſatis eſſe non poteſt. At vna hac innumerabiles pueri, viri ſenectute

Mens rerũ oium impreſſiones ſub vna eademq; forma cõiter concipit: easq; diuerſis poſtea ſermonũ generibus pro diuerſitate idiomatum exponit. Commeatum Iulij Camilli.

Exponit laudibus ipſiq; naturæ anteponit ſuã artem Iulius Camillus.

affecti

affecti, primo etiam die, quo eius aura afflari cupiant, ita præſtantes ſeſe in ſcriptione oſtendere poſſint, vt veritas ipſa maximam ſit haud dubiè admirationem allatura. Et quòd ſi requirerem ab aliquo aut loquente, aut ſcribente, videatne animo interiores rerum formas ad unam de quibus aut loquitur, aut ſcribit, diceret profectò eas mentis acie videre: verùm ſi rogarem, poſſetne digitũ in quamlibet rerum inſitam notam intendere, reſponderet non modò digitum ad mentem aditum non habere, ſed etiam ſi haberet, negaret poſſe ſigillatim impreſſiones illas intrinſecùs inſidẽtes alicui oſtendere, ita perturbatæ, confuſæq́ue ineſſe videntur. At noſtra hæc manufacta mens, noſtra hæc tanti operis fabrica, ita feneſtrata eſt, vt apertior non potuiſſet deſiderari a Socrate. Tota inquam hæc noſtra tanta molitio (verbo quidem noſtra, illius re, qui nobis in votis, qui in optatis, qui in precibus occurrit) & ſi rerum propè innumerabili multitudine ab omni fine aliena videatur: eorum enim omnium ſimulachra complecti debet, quorum notiones in intimam mentem venire poſſuut: veruntamen eo ordine elaborata eſt, ea locorum, imaginumq́ue ſerie, vt in quãcunque rem dicendam vel minutiſſimam animus ſeſe inijciat; locus, imagoq́ue ſtatim occurrat, quã non ſolùm oculis percipere, ſed digito ipſe tuo tangere, alijsq́ue oſtendere poſſis. Apponerem aliquod exemplum locorum, imaginumq́ue, niſi Galli etiam a nobis remotiſſimi nutarent, ne mutiam. Videntur enim mihi iam dicere; mitte iam hæc, atque id age, vt te etiam in ſermone a natura ſurripuiſſe imitationem, teq́ue etiam meliora preſtare poſſe qui te laceſ-

laceſſunt intelligant. Videamus igitur, vt eos audiam, quo modo puer ab ipſa natura locutionem habeat, quo etiã pacto in naturæ quaſi veſtigijs inſiſtam. Nempe cum puer loqui vult; aut a viſis pellitur, deinde pulſa ab ijs appetitione ſermo ſequitur; aut intimo ſenſu mouetur, vt dicat ea, quæ ad animum non a ſenſibus, ſed ab ipſa voluntate ducantur. pelleretur autem a viſis, cum peteret res, quas videret. ab interiore autem ſenſu pulſatur, cum loqui de ijs vult, quę aut videri non poſſunt, aut etiam ſi obijci poſſunt ſenſibus, non adſunt. Cum igitur loqui vult, totum ſe reuocat ad intimas rerum notas, ſumptoq́ue ſpatio quaſi per mentem verba inquirit, deinde enuntiat. At vſu adhibito nullum amplius tempus in inquirendis verbis conſumit: ſtatim enim ei verba ſuppetunt. Idem vſu veniet ei, cui datum erit vti tanti operis fabrica. ſiue enim oculus, ſiue animus tantùm pulſus erit ad aliquid enuntiandum; dum rudis, dum nouus erit, tantum ſpatij ſumet, quantum poterit in locorum, imaginumq́ue inquiſitione conſumi. punctum id certe temporis diceres, menteq́ue ab imagine admonita negotium conficiet, ſed paucis diebus poſt propter conſuetudinem, quæ vim naturæ obtinet, ſine multa cogitatione, etiam abſque fabrica ſub digitos ſcribentis verba maximè idonea etiam non aduocata ſuccedent, atque ſubibunt. Præſtantior tamen eſt hæc ars, quàm natura in hoc, quòd natura comparatum eſt, ut qui populari lingua vtuntur, ea verba proferant, quæ etiam ex imperitiorum ore collegerunt: verùm ij, quibus tantum muneris erit, vtentur ijs tantummodo uerbis, quæ

Puer q̃uo ab ipſa natura ad locutionem impellitur.

Fabrica Iulij Camilli q̃uo in naturę quaſi veſtigijs inſiſtit.

Cõſuetudo vim obtinet naturæ.

In quo ars Iulij Camilli naturę præſtat.

grauiſſimi authores ſummo ſtudio, admirabili diligentia, aut ex vetuſtioribus, aut è medio præſtantiſſimo ſuo iudicio delegere. At ſi labores, ſi ſumpta ſpatia nobis moleſtiam non afferunt, cum linguam aliquam popularem etiam in plateis, etiam a baiulis diſcimus; donec aſſueti, ſiue interiecta cognitione, ea vti poſſimus, grauabimurne per aliquot dies, tanquam in oculis, in auribus etiam Ciceronem, aut Virgilium habere; qui nos rudeis in qualibet re propoſita ad locutionem illam latinam, ac plenè emendatam informent; donec ab eorum caſtiſſima, atque integra diſciplina ad perfectiſſimum vſum traducamur? Quid? quòd mora hæc paruula totius tuæ ætatis labores detrahet. Quid? quòd imagine inuenta ornatiſſimam latini ſermonis ſupellectilem vnum in locum comportatam miniſtrabit? quo fiet, vt ſæpius etiam, quàm peteres, ſententiam ipſam tanquam pulcherrimam virginem pluribus veſtibus induere poſſis. qui verborum apparatus, niſi ita paratus eſſet, qui Ideis orationis parere poſſemus? quarum aliæ eiuſdem ſignificationis verba duarum ſyllabarum, aliæ trium, aut quatuor, aut quinque, aut ſex, aut etiam ſeptem requirunt; vt pedes, vt numeri, vt harmoniæ ad materiam accommodatæ confici poſſint. Quid? ꝙ ſi quælibet exercitatio vſum comparat, nonne ſatius ex optimis authoribus, quorum te nunquam pœnitere poſſit, ſtylum perficere, quàm ex deterioribus, quàm etiam fortuito? cum preſertim difficilius ſit ab ipſo inani caſu, quàm a locis, quàm ab imaginibus verba petere. Quid? quòd nulla alia ratione tutius Ciceronis, aut aliorum appro-

Cicero, & Virgilius in oculis, ĩ auribus habendi.

Exercitatio uſum cõparat.

Ex optimis authoribus ſtylus perficiendus.

probatiſſimorum authorum verba in tuis ſcriptis enitere poterunt; atque ea nemo vt dura, vt odioſa, vt intolerabilia exagitare poterit; niſi etiam ab ipſo Cicerone tanquam a putido abhorrebit? Quid? quòd hoc vno apparatu diuino illo Ciceronis conſilio non abutemur, cum nobis ſyluas rerum, ſyluasq́ue verborum comparandas ſuadet? qui ſi Romanos ad eiuſmodi labores hortatus eſt, quibus hæc lingua erat propria, quid nobis feciſſet? At quam vtilitatem apparatus afferret, niſi locorum mira hæc ſeries iucundas rerum, verborumque recordationes nobis daret? Quid? quòd eo ipſo die, quo incipies, illud efficies, ad quod multi in literis penè conſumpti, vix cum ipſa canitie peruenire poſſunt? Quid? ab imaginibus pulcherrimis, ad quas optimarum ſcientiarum ſplendor reuocatur, eruditionem, linguamq́ue, quas dedimus, repoſcemus? Quid? quòd hic labor copioſior, firmior, vtilior, quàm ille Demoſthenis in ſcribendo octies Thucydide fuit? Nam ſi id fecit, vt verba Thucydidia in notione animi tanquam in veſtigio hærerent; non poterant, vt hac in fabrica, in qua omnia vno aſpectu percurrimus, ea, quæ ad aliquid vnum idonea ſunt, vno ordine videri. adde eam rationem tantùm commodo Demoſthenis potuiſſe facere: at noſtra hæc ex omni vſu eſſe poſſe.

Syluæ rerum.

Syluæ verborum.

Series locorum.

Imagines pulcherrimæ.

Demoſthenes octies Thucydidem tranſcripſit.

Commenta ea appello, quæ aut Poetæ, aut Oratores in qualibet materia quadam ingenij ratione inuenere. hæc etiam cum Rex habebit prompta, ſemper ei erit, in quo lucem clariſſimorum authorum ſequatur: ſemper de quibus eloquentiæ expreſſam effigiem ſumat. Hæc certe diffi-

Cōmēta quæ: natu appellāda

Effigies eloquētię tēporibus noſtris obſcurata.

ciliora ſunt, quàm ea, quæ ex præclariſſimis artibus accipimus. artes enim ſemper eminent. at hæc Rhetorum ſilentio, noſtraq́ne negligentia in lumine etiam manifeſto obſcurari videntur. Hinc ſæpe fit, vt propoſita nobis materia videatur infęcunda, atque in ea omnis noſter labor hebeſcat. Quare danda eſt opera, vt ex commentis veterum nobis neque conſilio, neque auxilio deſimus. Atque vt ad ea veniamus. hæc certe materia, qua mortem alicuius, aut flemus, aut celebramus, non aliter Poetę, atque Oratori communis eſt: non tamen communes ſemper ſunt dicendi viæ. Si enim Orator conqueri de alicuius morte vellet, ea, quæ in omnium vſu ſunt, prudentia purgaret, verbisq́; illuſtraret: At cum Poeta eadem aggreditur; quædam præter hominum conſuetudinem dicenda inuenit: Ita vt ſi plures Dij eſſent, atque ijdem in terris: Orator tanquam homo inter Deos excelleret: Poeta tanquam quidam Deus inter homines diuinis quibuſdam inſignibus videretur. Arduum profectò eſt ea, quæ in medio ſunt, ad Deorum admirationem extollere; ita tamen, vt ad hominum ſenſum accommodentur. Magnum etiam eſt eadem ad eam diuinitatem traducere, vt homines tantùm ſuſpiciant, ſoli quaſi Dij intelligant. Sed quid aliud Orator ex antiquorum ingenio de hac materia diceret, quàm quæ aut de obitu Tulliæ, aut de M. Marcelli interitu legimus? quæ omnia ex communi conſuetudine, atque ex affectionum, narrationumque locis depromptaſunt. Sunt tamen quædam, quæ vterque ex ijſdem capitibus tractare poſſet: qualia ſunt illa, quæ Cicero addidit ijs de conqueſtione, quæ

Eędē materię cōiter a poeta atq; ab oratore, nō tamē ſemper p eaſdē cōmunes dicēdi vias pertractātur.

Capita quędā cōiter ab oratore, atq; a poeta p tractata.

Ariſto-

Ariſtoteles miro quodam modo docuit. hęc enim Ciceronis ſunt.

Cicero.

Octauus, per quem aliquid dicitur eſſe factum, quod non oportuerit, aut non factum, quod oportuerit, hoc modo. Non affui, non vidi, non poſtremam eius vocem audiui, non poſtremum eius ſpiritum excepi. Item, Inimicorum in manibus mortuus eſt, hoſtili in terra turpiter iacuit inſepultus, a feris diu vexatus, communi quoque honore in morte caruit.

Virgilius Ciceronē imitatus.

Quam quidem Ciceronis appoſitionem ita Virgilius imitatus eſt, vt eam vidiſſe, et communem eſſe Oratori, atque Poetę apud omneis teſtatum reliquerit, cum dixit,

Matris Euryali apud Virg. de filiomortuo cōqueſtio

Hunc ego te Euryale aſpicio? tune illa ſenectę
Sera meæ requies? potuiſti linquere ſolam
Crudelis? nec te ſub tanta pericula miſſum
Affari extremum miſeræ data copia matri?
Heu terra ignota canibus data præda latinis,
Alitibuſque iaces: nec te tua funera mater
Produxi, preſſiue oculos, aut vulnera laui,
Veſte tegens, tibi quam noctes feſtina dieſque
Vrgebam, & tela curas ſolabar aniles.

Commenta quædā poetarū propria.

At quędam poetarum commenta ſunt, quę ad ipſos tantùm propriè referuntur: cuiuſmodi illa ſunt, quæ tribus diuerſis rebus eadem adhiberi poſſunt. Profectioni ex magiſtratu cum gloria, ex loco cum corpore, ex corpore cũ vita. atque horum oppoſita, Ingredi magiſtratum, ingredi locum, ingredi etiam die natalitio hanc orbis lucem, ijſdem commentis, quæ ſuperioribus tantùm opponuntur

tractari

Cōmēta ex ſimilitudine, atque ex cō ſequentibus ſiue adiunctis

tractari poſſunt. Commenta autem huiuſmodi ex duobus locis exiſtunt, ex ſimilitudine, atque ex conſequentibus, ſeu adiunctis. Verùm tota noſtra conſideratio ad perſonam admouebitur: quæ quidem aut honeſta erit forma corporis, vel animi, aut ad aliquam rem artem habebit, quæ in tutela alicuius Dei ſit. Si enim corporis, aut animi dignitate erit inſignis; in eius aduentu, præſentia, atque diſceſſu, ab eorum omnium ſimilitudine commenta ſumentur: quæ eorum aduentus, aut præſentia terrarum orbem ornatiſſimum; eorumque diſceſſu deformatum reddere poſſunt.

Conſideratio ad perſonam quōdētad moueri.

Lucretius ad Venerē

Sic enim Lucretius ad Venerem.

" *Te, Dea, te fugiunt, te nubila cæli:*
" *Aduentuque tuo tibi ſuaues dædala tellus*
" *Submittit flores: tibi rident æquora Ponti,*
" *Pacatumque nitet diffuſo lumine cęlum.*

Virgilius ī Bucolicis:

ſed Virgilius primū quid formoſi præſentia, deinde quid abitio afferat.

" *Stant & iuniperi, & caſtaneæ hirſutę,*
" *Strata iacent paſſim, ſua quæque ſub arbore poma,*
" *Omnia nunc rident. At ſi formoſus Alexis*
" *Montibus his abeat, videas & flumina ſicca.*

Virgilius in Bucolicis.

Rurſum hęc ex abſentia pulcherrimę uirginis eueniſſe: ex aduentuque hęc alia euentura ſibi pollicetur.

" *Aret ager, vitio moriens ſitit aeris herba.*
" *Liber pampineas inuidit collibus vmbras.*
" *Phyllidis aduentur noſtrę nemus omne virebit,*
" *Juppiter & lęto deſcendet plurimus imbri.*

Quę dici etiam poſſent non ſolùm in eius laudem, cui aut

magi-

magiſtratus delatus eſſet, aut qui ipſum ſumma cum laude gereret: ſed etiam in eius honorem, qui natus eſſet: eorumque contraria, aut eum, qui ampliſſimis honoribus perſunctus eſſet, aut eum, qui ad exitum vitæ uocaretur, exornare poſſunt. omnia hæc habent aduentum, præſentiam, diſceſſum. Atque ea, quæ ad natalem pertinent, in Pollione Virgilius ita egit; vt etiam penè conſulatui magnificentiſſimè geſto communia fecerit. Verùm ſi perſona alicui arti ſtudet, aut ſtuduit: non ſolùm ab ipſo, ſed a Dijs ipſius artis, atque vnà a conſequentibus commenta oriuntur. Quare Virgilius cum vellet oſtendere Daphnin & formoſum, & paſtorem, atque eundem poetam fuiſſe; ea, quæ commodorum naturæ ſunt, a ſimilitudine quaſi luminis in eius morte conſinxit. ſic enim incepit, Aduétus. Præſentia Diſceſſus Conſulatus magnificentiſſimus Pollionis. Virgilius in Bucolicis.

Extinctum Nymphę crudeli funere Daphnin ››
Flebant. ››

Atque vbi multos dolores matris, Nympharum, brutorũ prodigia, atque inſtituta a Daphnide interpoſuit, ad id verbum, quod incepit, quaſi ab oppoſitis redijt. Virgilius in Bucolicis.

Vitis vt arboribus decori eſt, vt vitibus vuæ, ››
Vt gregibus tauri, ſegetes vt pinguibus aruis, ››
Tu decus omne tuis. ››

Mox quæ paſtoris, aut poetæ fuerant, a Pale, atque ab Apolline Dijs commenta confecit Virgilius in Bucolicis.

-----poſtquam te fata tulerunt, ››
Ipſa Pales agros, atque ipſe reliquit Apollo. Virgilius in Gallo ex Theocrito.

Eaque a conſequentibus tradidit: quæ in ſequentibus legi poſſunt.

Neque

Neq; ea ab his aliena sũt,q̃ in Gallo ex Theocrito cecinit.

,, *Quæ nemora, aut qui uos ſaltus habuere puellę*
,, *Naiades, indigno cum Gallus amore periret.*
,, *Nam neque Parnaſſi vobis iuga, nam neque Pindi*
,, *Vlla moram facere, neque Aoniæ Aganippe.*

Cum enim fingat Naiadas, ac ſi muſas diceret, quę aquis pręſunt, poetarum eſſe Deas: ab eo loco, vnde Gallus diſceſſit, eas quoque abiuiſſe vult. Animaduertendum igitur, ne cum de homine dicimus, cui nulla pulchritudo adiuncta ſit, ijs commentis eum ornemus, quę ad pulcherrimum attinent: atque cum de tantùm formoſo adueniente, vel abeunte ſcribimus, ne Deos artinm eius laudibus immiſceamus; niſi Venerem, aut Cupidinem, tanquam pulchritudinis Deos cum ipſis eſſe dixerimus, ad Tibulli imitationem.

Documẽtum.

Tibullus.

,, *Rura tenent Coruine meam villęque puellam.*
,, *Ferreus eſt eheu, quiſquis in vrbe manet.*
,, *Ipſa Venus latos iam nunc migrauit in agros.*
,, *Verbaque aratoris ruſtica diſcit amor.*

Commenta quædã ipſa ſola, materia penitus exclusa, a poetis pertractãtur

Virgilius in Roſa.

Vita humana roſæ perſimilis.

Sunt pręterea quędam commenta, quæ materiam penitus excludunt; ipſaque ſola tractari videntur: qualia ea ſunt, in quibus Virgilius eleganiſſimè elaborauit, cum elegiam de imbecillitate humanę vitę edidit, cui titulus eſt Roſa. materiam enim philoſophis reliquit; ipſaque commenta, quę a ſimilitudine roſarum quęſiuit, pro materia, atque pro cõmentis habuit. dixit enim de re ſuaui pulchritudine pręditã, imbecilla tamen & breui tempore caduca. atq; ne videatur loqui de humana vita, iudiciũ ad finẽ vſq; ſuſtinet.

,, *Et memor eſto æuum ſic properare tuum.*

Verùm

Verũm Cicero, quanuis a nauis ſimilitudine in eadẽ re commenta petiuerit, nihilominus materiam nõ amouit, ne ab oratore diſcederet, in L. Craſſi morte deploranda.

Cicero in Oratore.

O fallacem hominum ſpem, fragilemque fortunam, & inaneis noſtras contentiones: quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur, & corruũt; & ante in ipſo curſu obruuntur, quàm portum conſpicere potuerint.

Quę etiam in rerum diſſimilitudine venari poſſumus. ſed de his ſatis. Nunc aliquid de Aſſumptionibus, quarum ars omnium vtiliſſima; eo inquiſitione dignior, quo hactenus neglectior.

ASSVMPTIONES autem eæ ſunt, quę, vt ſententia aliqua plenior, vt etiam magnificentior ſit, apponi ſolent, vt cum ad rem aſſumimus eius cauſam, aut genus ad partem, aut confuſum, ad diſtinctum, aut indefinitum ad definitum, aut aliquid aliud, de quibus latius alibi omnis igitur ſententia aut pura, atque ab omni aſſumptione nuda profertur; aut habet aliquid aſſumpti. non tamen eodem modo aſſumuntur hęc, de quibus dixi, quo argumenta; & ſi locos penè communes habeant. argumenta enim apponuntur, vt ſententia ſit probabilior: hęc aſſumuntur, vt eadẽ ſit plenior, & quaſi ſapientior. Sententię igitur ſine aſſumptis ſunt, quę a puerili quidem natura, aut ab ea, quæ ad puerilem accedit, vt a rudibus, a paſtoribus proficiſci ſolent. Eſt igitur ars hæc Aſſumendi, quaſi eius locutionis pędagogus, quę a brachijs nutricis educi velit a natura enim tanquam à nutrice ſimplices ſententias diſcimus: quibus tantùm ſenſa mentis demonſtramus. Verùm ab re-

Aſſumptiones q̃ ſunt.

Omnis sẽtentia aut pura, aut cum aſſũptione.

Differentia inter aſſumptiones & argumenta.

Snia ſine aſſumptis quæ ſunt.

Ars aſſumẽdi quaſi locutionis pædagogus.

Simplices ſententiæ a natura diſcũtur;

G rum

a rerũ aũt uſu, atque a lõga authorum lectione cũ aſſumptionibus amplificãtur. Terentius in Andria

rum uſu, atque a longa authorum lectione quædam adiũgimus, quibus amplior videatur. quid enim purius? quid ſimplicius? quid etiam ſtrictius illis ſententijs apud Terentium? Lucina fer opem, ſerua obſecro. ita enim nudæ, ita inopes ab omni amplitudine ſunt, vt certe & puellæ, & parientis videantur. Etenim grauiſſimus poeta non ſolùm naturam puellæ imitatus eſt, a qua rerum vſus abſit, vnde ſumat res, quibus pleniores eas ſententias faciat; ſed eius etiam puellæ, quæ doloribus pariendi circunuenta orationem comprimat. Quid etiam magis ſolitarium illa Menalcæ apud Virgilium?

Menalcas apud Vir.

,, *Sis bonus, o felixq́ue tuis.*

Quæ idem penè ſignificat, quod illa Terentij fer opem. Nunc quibus rationibus eaſdem Cicero locupletare ſoleat videamus. huic certè ſententiæ, quæ petitionem auxilij habet, bis in principio orationis pro Quintio ea aſſumpta adiecit, quas cauſas appellauimus, cum dixit.

Cicero p Quintio.

,, *Quæ quò plura ſunt C. Aquili, eò te & hos, qui tibi in conſi*
,, *lio adſunt, meliori mente noſtra verba audire oportebit.*

Virtus enim ſententiæ in illo nomine meliori inſidet, quod a bono fit. qui enim bonus eſt alicui, ei adiumento eſt. deinde quaſi id explicans ſubiũxit, vt multis incommodis veri
,, *tas debilitata tandem æquitate talium virorum recreetur.*

Natura ſimplex: ars prudẽtior & quaſi verecundior.

Videte naturam: conſiderate artem. natura ſine fallacijs aperteq́ue dixiſſet fer opem, aut aliquid ſimile. Ars prudentior, & quaſi uerecundior, vt tamen ſua prudentia, & verecundia alliciat, non ſolùm præpoſuit cum miſerationis affectione cauſam, cum oſtendit multis incommodis op-

dis opprimi; ſed verecundè, & modeſtè auxiliũ petit, cũ ve lit tantùm meliori mẽte audiri. Bona fortaſſe mente iudex cãm iuſtiſſimã audiuiſſet: Sed cũ eã auditurus ſit tot etiã incommodis affectã, meliori mente audire debet. Qđ apertius in ſequenti declarat, ea cauſa aſſumpta, quamobrẽ au xiliũ petat: quia cum dicit ueritatem multis incõmodis de bilitatam eſſe, magnopere vt auxilium detur poſtulat: atque ne id deneget, non ſibi petit, ſed veritati pluribus incõ modis debilitatę. At quod auxilium? vt veritas debilitata recreetur, & quaſi oppreſſa reſpiret. Iudices enim debẽt ma gis moueri veritate, ꝗ homine, à quo ſtet cõtra aduerſariũ veritas. Ĩ quibus etiã verbis, ſi quis diligenter inſpiciat, alia etiã aſſumpta videbit. At in ea pro Sexto Roſcio ad eandem ſententiã qualitates, perſonaſque aduocauit: qualita tẽ auxilij, cũ oſtẽdit ignorare quod auxilium peteret, atq; ita magno indigere præſefert; perſonas, earumq; qualitates, cũ dicit neſcire ad quos cõfugere, eosq; ſigillatim nominat. Dicit igitur. At quod, aut a qbus auxiliũ petã? Deorũ ne im ,, mortaliũ? populi ne Romani? ueſtrãq; qui sũmã poteſtatem ,, habetis hoc tpe fidẽ implorẽ? Simplex tamẽ ſñia in duobus ,, illis verbis poſita eſt, fidẽ ĩplorare. Cũ igitur plures aſſũptiones poſſint ad aliquã ſñiam apponi, maximũ cõſiliũ adhibẽdũ eſt in illis deligẽdis, vt ſciamus & quid materiæ ſit accõmodatius, & quò magis authores probatiſſimos imitari poſſimus. Nã & ipſi authores in hoc maximè elaboraue rũt, ut id, quod cauſę eſſet aptius, aſſumerẽt. Quapropter cũ Cicero in principio orationis pro Quintio exponat incõmoda, eaque præmittat, ſe videlicet carere (vt dicit) eloquen

Iudex magis veritate quàm homine moueri debet.

Cicero ꝑ Sexto Roſcio.

Iudicium in aſſumptionibus deligẽdis adhibẽdũ.

Cicero ꝑ Quintio.

Ciceronis iudicium in vna è tribus aſſumptionibus deligenda.

tia; Quintij gratia: uideamus quæ aſſūpta adiecerit, quoq; conſilio vſus fuerit. Tria potiſſimum (ni fallor) vt aſſumerentur, occurrebant: genus ad partem, congregatio ad congregata, indefinitum ad definitum. Cum tamen diligentius examinaſſet, congregationem delegit. Conſiderauit igitur, vt arbitror, ſi genus adhibuiſſet, vnum tantùm nō ſatisfacturum genus, cum duę ſint ſententię: quarum quę libet ſuum poſtulaſſet: quibus aſſumptis illa figura, quæ χιασμὸς appellatur, de qua paulo poſt, locū habere non potuiſſet. Cum enim eloquentia, & gratia, diuerſorum generum ſint, quælibet ſuum genus voluiſſet: eloquentia id, quod ad doctrinas: gratia id, quod ad fortunam pertinet. quare duo genera excluſa etiam tam nobili figura unū in locū cōiecisset. At Virgilius in Corydone treis ſñias vno tractu intexuit, quibus oībus vnum tanquā genus pręposuit.

Eloquentia, & gratia diuerſorum generum.

Virgilius in Corydone.

,, O crudelis Alexi nihil mea carmina curas,
,, Nil noſtri miſerere, mori me denique cogis.

Amantiū opinio.

Amantium iudicio locutus eſt: putant enim inhumanitatis, crudelitatiſque eſſe alicuius non curare carmina: non miſereri illius, atque ipſum cogere mori. quod etiam genus vnum crudelitatis alibi ad quatuor quaſi parteis vltimo loco aſſumpſit.

Dido apud Vir

,, Nec te noſter amor, nec te data dextera quondam,
,, Nec moritura tenet crudeli funere Dido:
,, Quinetiam hyberno moliris ſydere claſſem,
,, Et medijs properas aquilonibus ire per altum
,, Crudelis.

Nec inficior magnę eſſe aliquando vehementiæ plureis

par-

parteis congerere, quarum quælibet ſuum genus habeat vltima excepta, cuius dicamus genus non inueniri, vt apud Ciceronem in Verrem.

Locus magnæ vehementiæ. Cicero in Verrem.

Facinus eſt vinciri ciuem Romanum: ſcelus verberari: ,, 230
propè parricidium necari: quid dicam in crucem tollere? ,,
verbo ſatis digno tam nefaria res appellari nullo mõ põt. ,,

Cõgregatio quid eſt.

De genere diximus, de congregatione nunc. CONGREGATIO Igitur ea eſt, quæ multa etiam genere diuerſa ambitu ſuo complecti poteſt. Cum enim eloquentiæ oſtendimus ſcientiam genus eſſe, gratiæ fortunam: nonne eloquentia, & gratia diuerſorum generum ſunt? At cum eloquentia, & gratia plurimum poſſint in ciuitate: plurimũ igitur in ciuitate poſſe his duobus, vt cõgregationem ijs quæ congregantur, adiecit. quod non ſolùm multum valet ad odium concitandum in aduerſarios, ſed etiam ad eorum partitionem, ex quibus figura pulcherrima apparere incipit. Omiſit etiam animo meo indefinitum: quoniam & ſi potuiſſet dicere, multa nobis impedimento ſunt: duo tamen potiſſimùm eloquentia, & gratia: quę partitio figuram illam non amouiſſet. Veruntamen ſi iam dixiſſet hæc duo incõmoda omnium eſſe maxima, cũ alia eſſet enumeraturus, iam de ijs magnum quiddam detraxiſſet. At congregatione adhibita, omnia magnitudinem ſuam ſeruant: nullum enim incommodum etiam ſi plura enumeraſſet, minus futurum erat incommodum, quàm aliud, nulli de vi imminuitur. Magna certe virtus in aſſumptionibus eſt: nullaque alia magis Cicero, & Virgilius eloquentiæ non ſolùm amplitudinem, ſed etiam, cum volunt, ſtyli tenui-

Eloquentiæ genus ſcientia, gratię fortuna.

Eloquentia, & gratia, plurimum poſſunt in ciuitate.

Magna virtus aſſumptionum tum ad amplificandum tũ ad extenuandum

mitatem acquirunt. hac vna magni, hac vna humiles. atque magni de humilibus in imminuendis, locupletandis, ante, vel poſt, vel in medio ponendis aſſumptis ſeſe oſtendunt:

Argumentorum, & aſsũptionũ ijdem ſunt loci cões: at aſſumptionũ quidã proprij.

Dicerem aliquid de ARGVMENTIS, niſi eoſdem locos haberent communeis: quanuis aſſumptis quidam ẽt proprij ſint. tantùm enim inter aſſumpta, atque argumenta intereſſe diximus: qđ aſſumpta tractãtur ſine forma aliqua cõtẽtionis, quę tota argumentorum eſt. A loco enim generis, quæ ante dixi, hoc uel ſimili modo argumentandi tractarẽtur. Si crudelitas digna ſupplicio ẽ, qua laude eũ dignũ putatis, qui alterius carmina nõ curat: qui illius nõ miſeretur, q̃ ipsũ ẽt mori cogat? in forma igitur tractãdi tãtũ differũt.

Diſcrimẽ inter aſsũptiones & argumẽta

Nunc aliquid de DICENDI VIIS, quæ etiam ſententiarũ figuræ dici ſolent. Viæ igitur dicendi appellantur: quoniam nulla materia ad orationem, aut ad carmen peruenit, niſi aliqua ducatur via. Atque eadem aut recta uia eloquentiam aſſequitur, aut etiam a familiari deflectẽs itinerè quò vult aduenit. diximus ſuperius eandem materiã ab oratore, atquę a poeta ſæpe tractari: oſtendimusq́ue poetam eodem itinere non ſemper conferre ſe in eloquentiam, quo orator iret. nunc etiam (vt trita omittam) hoc addimus, vtrum uis horum ita naturæ materię deuinciri, vt cũ plura itinera ſtent, id capere debeat, quod materiæ accõmodatius eſſe videatur. Materia enim ſedata dat ſe in rectã, perſpicuamq́ue viam. nullam enim admirationẽ, nullamq́; percunctationem aduocat, ne a recta illa ſemita declinet. quare non vteretur hac concitata interogatione, quæ ad τραχύτητα pertinet.

Viæ dicẽdi cur ita appellantur.

Via dicendi aut recta, aut a familiari deflectens.

Eadẽ materia diuerſimodè ab oratore, & poeta ſæpe tractatur.

Iter materiã accõmodatius ſemper capiendum.

Percunctatio.

Cicero in Catilini.

Quo-

Quouſque tandem abutère Catilina patientia noſtra? ,,
a qua,ſed moderatiõe adhibita,oratio mea prĩcipiũ habuit.
Quid hoc quæſo viri Galli? ,,
quam percunctationem ſumere etiam poteſt quælibet materia, quæ a magno aliquo motu, etiam ſine reprehenſione, inciperet: vt illa Virgilij,quam ex Theocrito ſumpſit. Virgilius in Gallo ex Theocrito.

Quæ nemora, aut qui vos ſaltus habuere puellæ ,,
Naiades,indigno cum Gallus amore periret? ,,
Nam neque Parnaſſi uobis iuga, nam neque Pindi ,,
Vlla moram fecere, neque Aonia Aganippe. ,,

Cuius quieta, atque ſimplex ſententia fuiſſet,Gallum præ dolore ereptæ Lycoridis amplius carminibus non ſtudere, atque idcirco Parnaſſum reliquiſſe. Sed pro hac nuda ſententia eius aſſumpto ex adiunctis vſus eſt. Diximus enim id commenti poetici eſſe,vt cũ diſceſſu alicuius in carminibus triſtitia afficimur,unà cum eo etiam Deos,aut Deas artis,in quam ipſe incumbit,illinc mouiſſe dicamus. A qua tamen percunctatione in Daphnidis morte abſtinuit. non enim dixit,Quis locus Palem,aut Apollinem habuit, cũ agri Daphnin perdidere? quoniam præcedens κλίμαξ *cum quieta ſimilitudine de præſentia facit,vt e vita ob fili quandam continuationem eandẽ quietem contrahant. non enim in aliquo principio ſunt.* Cõmẽtũ poetarum proprium. Similitudo. Virgilius in Daphnidis morte

Vitis vt arboribus decori eſt,vt vitibus vuę, ,,
Vt gregibus tauri, ſegetes vt pinguibus aruis, ,,
Tu decus omne tuis.poſtquam te fata tulerunt, ,,
Ipſa Pales agros, atque ipſe reliquit Apollo. ,,

Studium etiam noſtrum ex viarum doctrina in collocan-

dis

dis aſſumptis extare debet ; modò id potius vnicam ſenten tiam, quàm totam materiam reſpiciat. Quo fit, vt per il lam dicendi uiam, quæ eſt in principio orationis pro Quin- tio, congregatio ſubdiuiſa κατ᾽ ἄθροισιν ὡρισμένον in prio- ri parte inducatur. prius enim eam aſſumit, dein-

Cicero ꝑ Quintio.

de ſubdiuidit.

,, *Quæ res in ciuitate duæ plurimum poſſunt, hæ contra nos*
,, *ambæ faciunt hoc tempore : ſumma gratia, & elo-*
,, *quentia.*

Figuræ quæ dicũtur.

Qua de cauſa? non cernitur oculis, mente percipitur. Qua re vias dicendi ſententiarum, quæ mente comprehendun- tur, etiam figuras nominant. Fortaſſe id fecit, vt Iudi- ces ſtatim in principio moniti duo eſſe in ciuitate, quorum ſumma poteſtas omnia complectitur, prius etiam ſuſpicen tur ea aliquid iniquitatis habere, quàm eorum nomina au diant.

Via dicendi.

Cum igitur ratio hæc collocandi in principio, in me dio, aut in fine ea, quæ aſſumuntur, ad vnicam ſententiam redigitur, viam dicendi appellabimus.

Ordo dicendi.

Sed cum in tota ali qua plurium ſentẽtiarum materia ſpectabitur, ordinem di cemus.

Octo a Cicerone in oratione pro Quintio conſiderata.

Quare in tota illa conqueſtione Ciceronis pro Quin- tio in principio, cum antequàm eam eloquentia illuſtraret octo videret, treis perſonas, tria attributa perſonis, cau- ſam quamobrẽ conquereretur, ſupplicationem : miro ordi- ne hæc omnia collocauit. Eſt enim perſona, quæ conque ritur, Cicero, Quintius : eſt etiam ea, de qua conqueritur, Hortenſius, Sext. Neuius: atque ea, apud quam conqueri tur, C Aquilius, cæteríque Iudices. Attributa autem per ſonæ, quæ conqueritur, nulla eloquentia, nulla gratia, care-

reque

rēque optimo defenſore,qui noua erat legatione impeditus; eumq́ue,qui nunc patrocinatur, ſatis temporis non habuiſſe. Sed attributa perſonæ,de qua conqueritur,omnia ſunt commodorum ornamenta. Atque attributa perſonæ,apud quam conqueritur, ſumma eſt rei poteſtas. Sed ea quę attribuit rei,qua ad lamentandum ductus eſt, veritas debilitata eſt. Veruntamen & ſi talis a rei natura proficiſcebatur ordo,conſilium tamen Ciceronis a Quintio incepit,ideſt a commodis aduerſarijs attributis, vt Iudices eis ſtatim iratos faceret. Reliqua vos ipſi iudicabitis;ſit tamen, vt via dicendi ab ORDINE non diſtinguatur, cum materia paucis ſententijs abſoluitur, vt

Via dicendi quãdo ab ordine non diſtinguitur.

Virgilius in Bucolicos.

Parta meę Veneri ſunt munera,nanque notaui ,,
Ipſe locum aeriæ quò congeſſere palumbes. ,,

Cauſam enim poſt poſuit,vt ſimplici formæ ſeruiret. Sed iam de VERBIS aliquid agamus.

VERBA igitur eò magis conſideranda ſunt, quò magis verborum, quàm Sententiarum cura L.Craſſus torqueri dixit:veritus ne ſi paulò obſoletior fuerit, oratio non digna expectatione, & ſilentio fuiſſe videatur. Et quamuis Cæſaris etiam teſtimonio, verborum delectus origo ſit eloquentiæ:non tamen (vt multi arbitrãtur) in verborũ obſeruatione tantùm conſiſtit plena imitatio. ab authore enim, quem imitari volumus, non tantùm verba ſumere poſſumus:verum etiam, aut aliquid de materia, aut de tractationibus affectionum,aut de commentis,aut de aſſumptis, aut de argumentationibus,aut de dicendi vijs, aut de ordinibus,aut de figuris verborum, aut de membris,aut de vin-

L.Craſſus

Verborũ delectus origo eloquentiæ.

Plena imitatio non tantum in verborũ obſeruatione, ſed etiam in multis alijs conſiſtit.

Quindecim pro referenda Tulliana eloquentia complectenda. Verba nõ ſufficiunt ad imitationẽ conſequendã. Simeonis cantus.

culis, aut de compoſitionibus, aut de extremis, numeris, atque harmonijs. At ſi Tullianę eloquentiæ referre effigiem volumus, cum eius naturam nequeamus, conſilia ſaltem in ſingulis his quindecim pro ſe quiſque complexum fuiſſe oſtendat; quò etiam plura de ijs, quę diximus eſſe quindecim, imitabimur, eò magis ad authorem accedemus. Nam ſi verba ſatis eſſent ad imitationem conſequendam, diceremus Ciceronem ſatis effictum eſſe in eo Simeonis cantu: qui, ſi, cum Rex Chriſtianiſſimus periculum de re faciebat, literis mandatus eſſet, talis de Gallicano ſcripto, quod in manus venit, ex verbis Ciceronis extitiſſet.

,, *Omnis cura, quæ angebat animum ſerui tui Domine, vt*
,, *pollicitus es, conſedit aſpectu pueri, quem voluiſti autho-*
,, *rem ſalutis eſſe: & conſtituiſti in oculis omnium tanquam Solem: qui gentibus in tenebris iacentibus lumen plebiq́ue tuæ gloriam afferat.* *Hæc profectò ſimplex eſt, & pura verborum Ciceronis imitatio, non tamen ad Simeonis verba, ſed potius ad eius ſententias accommodata: quam quidem imitationem quilibet vel mediocris ingenij, cui tantus verborum apparatus promptus eſſet, modò ſententiarum uis ei eſſet expoſita, conſequi poſſet. Nam vt de ea ſententia, quę difficilior videtur, dicamus, quid arbitramini aliud ſibi velle tritum illud? Nunc dimittis me in pace, quàm Nunc ſatis mihi facis? Ille enim, quem ſummum alicuius rei deſyderium tenet, dum rei cupiditate flagrat, non habet animum in tranquillo; ſed cum optatum conſequitur, ab eo omnis animi ſolicitudo diſcedit. Duobus etiam conſilijs verba elegantiſſima poterant ad ſententiam*

illam

illam accedere : vel eo, quod tranſitum ſequitur; vel eo, quod nullo tranſitu delectatur. Tranſitionis verba fuiſſent, ſi quis conuertiſſet hoc pacto: Nunc facis mihi ſatis, vel Nunc alleuas mihi omneis ſollicitudines. At tranſitu carent hæc: omnis cura, quæ angebat animum ſerui tui conſedit; vel, Nunc aculei, qui mihi inſidebant in animo, conquieſcunt: ſeu, Nunc crebræ expectationes, quas mihi commouebas, conquieſcunt. Videte etiam, quàm belle ſedeat in constructione illud nomen, aſpectu, aptius certè, quã ſi poſitum fuiſſet verbum aliquod viſionem ſignificans. Nã cum cauſæ efficientis ſignum facit, duas ſentẽtias in vnum, idemque verbum coarctat. Quod ni feciſſet, neceſſe erat, vt in alterum mẽbrum ratio ſedationis curarum caderet, hoc quidem modo, vel ſimili: Quoniam oculorum ſenſu filium tuum ſalutarem percepi: vel, ſub aſpectum enim meum filium ſalutarem tuum ſubieciſti: vel aliquid aliud tale. Sed vt diligentius hæc, quæ ad verborum imitationem attinent, videamus; penſitanda ſunt ea quæ Cicero ad Seruium Sulpitium ſcribit in ea epiſtola, Accipio excuſationem tuam, in qua hęc ſcripta ſunt.

Verba trãſitionis, in Simeonis cantu.

Verba trãſitu carentia, in Simeonis cãtu.

Cicero ad Seruium Sulpitiũ.

Illam partem excuſationis, qua te ſcribis orationis paupertate, ſic enim appellas, iiſdem verbis epiſtolas ſæpe mittere, nec agnoſco, nec probo: & ego ipſe, quem tu per iocum (ſic enim accipio) diuitias orationis habere dicis, me non eſſe verborum admodum inopem agnoſco. »»

Cum enim dicit, nec agnoſcere, nec probare: non ſolùm negat Sulpitium carere ea dicendi facultate, qua poſſit eandẽ materiam pluribus verbis dicere: ſed id non dicere pluri-

Cicero in de Oratore.

bus verbis non probat: quare in Oratore hæc præcipit,

,, *Nouerit primùm vim, naturam, genera verborũ, & ſim*
,, *plicium, & copulatorum: deinde quot modis quidque*
,, *dicatur.*

L. Craſſi authoritas apud Ceceroné maxima. Cicero in libris de Oratore.

Hæc inquã diligentiſſimè examinanda ſunt, quoniam in oratorijs libris hęc L.Craſſus, cuius authoritas apud Ciceronem ea ſemper eſt, vt eum ſemper omnibus & prudentia, & eloquentia anteponat; immo ſemper aut L.Craſſus Ciceronis perſonam, aut Cicero L.Craſſi gerit.

›› *In quotidianis autem cogitationibus equidem mihi adole-*
›› *ſcentulus proponere ſolebam illam exercitationem, qua C.*
›› *Carbonem illum noſtrum inimicum ſolitum eſſe vti ſcie-*
›› *bam. Vt aut verſibus propoſitis quàm maximè grauibus*
›› *aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria*
›› *poſſem comprehendere, eam rem ipſam, quam legiſſem,*
›› *verbis alijs quàm maximè poſſem lectis pronuntiarem.*
›› *Sed poſt animaduerti hoc eſſe in hoc vitij, q; ea verba, quæ*
›› *maximè cuiuſque rei propria, quæque eſſent ornatiſſima, at*
›› *que optima, occupaſſet; aut Ennius, ſi ad eius verſus me*
›› *exercerem; aut Gracchus, ſi eius orationem mihi for-*
›› *tè propoſuiſſem. Ita ſi iiſdem verbis vterer, nihil*
›› *prodeſſe; ſi alijs, etiam obeſſe, cum minus idoneis vti con-*
›› *ſueſcerem.*

Cum enim modò dicat alijs verbis idem debere dici, niſi velimus in deteriora cadere, hęc cohærere non videntur.

Partitio maximè vtilis pro imitatione.

Quare partitionem quandam faciemus, vt Cicero videatur ſibi conſtare; quæ quidem ijs, qui imitabuntur aliquem, maximam vtilitatem afferet. Aut igitur

ſcri-

ſcriptum alijs verbis dicendum, erit noſtrum aut alienum. Si noſtrum, aut materiam aliquam latè tractabit, aut breui ſententia, quæ ſæpe etiam vnico verbo claudetur, Vtrum vis horum alijs verbis a nobis dici poterit. Cum enim noſtrum eſt, poſſumus etiam aliquando a nobis ipſis penè declinare. De materia iam vidimus, quoniam cum Sulpitius excuſet ſe, quòd ſæpius eandem materiam vno exemplo ſcripſiſſet, Cicero & Sulpitium poſſe, & ſe etiam ipſum eandem diuerſis verbis ſæpius dicere: quod certè ſæpe facit. De ſententijs etiam dubitandum non eſt: quoniam idem Cicero in eadem materia vnam eandemque ſententiam varijs verbis exornat. Sententias autem appello; quæ ſenſa animi verbis oſtendunt, quæ etiam vno verbo contineri poſſunt, modò rei tantùm vocabulum non ſit. Qua propter in principio orationis pro Quintio, videns ſententias materiæ, quæ conqueſtione afficiebatur, magis propria, quàm tranſlata poſtulare verba, in proprijs commoratus eſt: atque in ijs, quæ etiam ſi eiuſdem ſignificationis non ſunt, ad idem tamen referri aliquo modo poſſunt. Conſyderate quæſo aduerbia illa idem ſpectantia. plurimum, tantopere, multum, non nihil, non mediocriter, appoſitumque illud ſumma: quod paulo poſt verbo aptè vt hæreret fecit, cum dixit, hęc ſumma in illis eſſe: ne diceret illos harum laude florerere, uel aliquid tale. & quanuis ſumma, tranſlatum ſit, ita tamen tritum, ut proprium putes. at ſi dixiſſet ſingularia, uel pręcipua, magis exquiſitum fuiſſet. Videte etiam quàm mirè delectatus ſit illis uerbis ad timo-

Scriptum noſtrum.

De materia.

De ſentētijs.

Sententiæ quæ dicũtur.

Cicero pro Quintio.

Aduerbia idem ſpectantia.

Summa, tranſlatũ, veluti proprium.

Verba ad timorem pertinētia

timorem pertinentibus, vereor, commoueor, metuo, pertimeſco. quorum duo prima Hortenſium reſpiciunt, eumq; timorem ſignificant, qui cum veneratione eſt. animaduertendum etiam in ſumma verborum proprietate quo ornatu affluat. nam cum duo propoſuiſſet, gratiam, & eloquentiam; primùm his nominibus gratia, & eloquentia, ſine additione aliqua vſus eſt: deinde vtrique proprium nomen adiunxit. Eloquẽtia Q. Hortensij gratia Sexti Neuij. poſt in appoſita conuertit dicens, cum patrono diſertiſſimo, cum aduerſario gratioſiſſimo. atque illa tria coniungenda ſunt: facere contra aliquem, impedire, nocere. quę & ſi eiuſdem ſignificationis non ſunt; ad idem tamen referuntur. facere contra aliquem, tam eloquentiæ, quàm gratiæ: impedire eloquentię, nocere tantùm gratię tribuit. Sed ſi ſcriptum erit alienum, aut in aliena lingua, aut in noſtra erit. atque in vtrauis harum erit, aut materiam aliquam, aut breuem ſententiam complectetur. breuis ſententia vbi vis poteſt uarijs modis dic: quoniam tantùm ratio materiæ exigit, vt verba ſint propria, aut tranſlata. Verùm ſententiæ a materia diſiunctæ nulla ratione coguntur, vt magis propria, quàm tranſlata induant. Quo fit, vt cum tranſlatorum maxima ſylua ſit, multis etiam uarijsque uerbis eadẽ ſententia pro arbitrio dicatur. Reſtat, ut de materia tam eorum, quæ in aliena lingua, quàm in noſtra tractata sũt, uideamus. Si igitur materia erit in aliena lingua, aut ratio ipſius materiæ fecit, ut proprijs, aut tranſlatis uerbis inſtrueretur. ſi proprijs, nulli dubium eſſe debet, nos rectè eã poſſe latinam facere; etiamſi propria cuiuſuis rei uerba penè

Timor cũ veneratione

Ornatus ĩ ſumma verborũ proprietate.

Scriptum alienum.

Verba aut propria, aut tranſlata.

Tranſlatorum maxima ſylua.

Verba propria cuiuſuis rei, penè vnica.

nè vnica ſint: nam ſi plura eſſent, magis, & minus propria darentur. At ea, quæ verè propria ſunt, vnica certe ſunt. Quare cum latinis verbis materiam græcis tractatam aggredior: mihi æque libera eſt latina ſylua, atque græca græco fuit in occupandis verbis maximè rebus proprijs. Etſi preclarè potero, quoties materiam proprijs contextam verbis videbo; affluentior certe copia mihi tranſlatorum erit. Quare de magna hac fabrica mea cum apud vos Galli aliquod inſigne veri dabam: Claudius Rangonus iuuenis & nobilitatis maximo ſplendore, & militari laude ob eius pulcherrima, glorioſiſſimaque facta clariſſimus; vbi tantùm ſententias, vt in latino iacent, illius Pſalmi Dauidis audiuit, in quo Deum ad ſui miſericordiam ob extinctum Vriam, atque ob libidinem commouet; cum translatis videret abundare verbis, eius tantùm ſententias in hæc translata contulit.

Verba verè propria vnica.

Claudius Rãgonus. Sententia Pſalmi Dauidici (Miſerere mei Deus ſecũdum magnam miſericordiam tuã, &c.) dupliciter, alijs verbis tranſlatis expreſſa & variata.

Commouere miſericordia in me Deus, quæ tua inſignis lenitas eſt: & pro miſerationum tuarum copia ex me ſcelus nefarium amoue. Iam verò ſordibus meis lauacrum adhibe: daque operam, vt maculæ, quę inſident in me, excidant. Etenim facinus meum non eſt ignotum mihi, nequitia mea contra me ſemper pugnante. & reliqua.

Iterum his aggreſſus.

Delabere Deus ad miſericordiam mei, vt tua incredibilis clementia poſtulat: & propter innumerabiles miſerationes tuas exhauſtum fac crimen meum. nunc hoc amplius. Illuuiem meam dilue: & ne peccati mei maculis inficiar, tuo nitore perfice. Culpa nanque mea clam me non eſt:

ſcelusq;

,, *ſcelusq; admiſſum contra me ſemper adeſt. atque ea quæ ad finem vſque ſequuntur, quæùe vos Galli tum vidiſtis. habetisq́;. At ſi materia illa a noſtratibus tractata eleganter proprijs verbis fuerit: qui fieri poteſt, vt ad eam quis ſe in eadem lingua exerceat? occupauit enim prior, quæ erant maximè propria, tibiq́ue minus idonea reliquit. Sed ſi materiam translatis compoſitam inuenies: cum voles alijs etiam verbis eam noſtram facere, translatorum maxima ſylua te nunquàm deficiet.*

Materia verbis proprijs tractata, in eadem lingua variari nõ poteſt: at translatis cõpoſita, variari optimè põt. Tranſlatorum maxima ſylua. Figuræ dictionũ diligentiſſimè notandæ.

Illa quoque nobis accedere debet conſyderatio: ꝙ FIGVRÆ DICTIONVM *diligentiſſimè notandæ ſunt, quibusq̃ue rebus maximè aptentur: Si authori, quem nobis propoſuerimus, etiam in his ſimiles eſſe voluerimus: Et ne diſcedam ab ijs, quæ pollicitus ſum, cum dicebam Ciceronem, ne perturbaret eam figuram, quæ* χιασμὸς *appellatur, potius in ea pro Quintio vnionem, ſeu congregationem, quàm genera aſſumpſiſſe: eius figuræ tantùm, etſi multis etiam alijs modis fieri poſſit, quaſi lineamenta cognoſcamus. Cum igitur duo proponuntur, quibus eadem reſpondere debeant: fieri poteſt, vt id, quod primum redditur, aut primo, aut ſecundo expoſitis adhæreat: ſi primo,* ἐπάνοδος*, ſeu* πλοκὴ *eſt, quam latini regreſſionem, Cicero traductionem nominat, luctuoſis narrationibus, enumerationibusq́ue aliquando apta.*

Figura χιασμὸς.

Figura ἐπάνοδος, ſeu πλοκὴ: latinè regreſſio, ſiue traductio.

,, *Iphitus, & Pelias mecum, quorum Iphitus æuo*
,, *Iam grauior: Pelias, & vulnere tardus Vlyſſi.*

Virgilius in Aenei.

Sed ſi primum ſecundo, ſecundum primo: χιασμὸς *eſt; non ſolùm puræ narrationi, enumerationiq́ue ſeruiens, vt*

Figura χιασμὸς.

Compu-

,, *Compulerātque greges Corydon, & Thyrſis in vnum* Virgilius in Bucolicis.
,, *Thyrſis oues, Corydon diſtentas lacte capellas.*

Sed alijs etiam rebus, vt conqueſtioni aliquando: hac for taſſe de cauſa, vt ſi materia triſtitiam affert, figura hæc quaſi exhilaret: qualis eſt illa in orationis principio pro Quintio: vbi non tantùm vnum vnicuique propoſitorum, ſed tria eadem pulchrè correſpondere videntur. Cicero p Quintio. *Propoſitis enim illis duobus GRATIA & ELOQVENTIA, tria cum eloquentia, triaque cum gratia conſentiunt. Hæc igitur tria tranſuerſa linea eloquentiam conſequuntur. ALTERAM VEREOR: ELOQVENTIA Q. HORTENSII: CVM PATRONO DISERTISSIMO COMPARER. hęc etiam tria gratiam. ALTERAM METVO: GRATIA SEX. NEVII: CVM ADVERSARIO GRATIOSISSIMO. Verũ in ijs, quæ de Deorũ natura ſcripſit, ubi materia miti, duraq; re immiſcebatur duas figuras ipſe quoq; immiſcuit; eã primũ, q̃ cõtẽtio dicitur: cui deinde* ασμὸς, *ſed duplicati⁹ adnectitur, cũ dicit.* Figura contentio Figura χιασμὸς.

,, *Qua quidem in cauſa, et beneuolos obiurgatores placare, & inuidos vituperatores confutare poſſumus: vt alteros reprehendiſſe pæniteat: alteri ſe didiciſſe gaudeant. Nã qui admonẽt amicè, docẽdi ſunt: q inimicè inſectãtur, repellẽdi.* Cicero de natura Deorum.

At ſi dixiſſet. Nam qui inimicè inſectantur, repellendi ſunt; qui admonent amicè, docendi: eadem linea omnia, quæ reddebantur, ad ſuperiora irent, vt in ea pro Quintio. Verùm ſi ita finem mitiorem feciſſet, in extremo compre-

henſionis aculeum illum aduerſarijs non reliquiſſet. Neque Epitrito illo primo gratiſſimo terminaſſet. Quare hęc omnia ſumma cura obſeruanda ſunt, vt figurarum quaſi loci nobis perſpicui ſint: non enim quælibet materia quamlibet figuram, neque eandem ſemper ijſdem lineis recipit.

Figurarũ loci perſpicui nobis eſſe debent.

Sed quid immoror in his? cum etiam in membris, atque in reliquis quę reſtant, ſemper videndum ſit, quid maxime deceat. Nam aliquando vnis membris, aut longis, aut tam breuibus, vt videamur nõ ſolùm membratim ſed etiam cæſim aliquid dicere: aliquando duobus, aliquando tribus, aut quatuor: atque non ſolùm eo, quem ſpiritum appellant, ſed etiam longiori circuitu pro natura rerum vti debemus. Affecti enim & concitati animi eſt aliquando in ſingulis membris quaſi conquieſcere, vt;

In membris orationis ſẽper quid maximè deceat videndum.

In ſingulis mẽbris conquieſcere, affecti concitatiq; animi.

Cicero in Catilinã

,, Quouſque tãdem abutere Catilina patientia noſtra? quandiu nos etiam furor iſte tuus eludet? Quem ad finem ſe effrenata iactabit audacia? Et quæ ſequuntur.

Nec tamen excluduntur a concitata materia eæ comprehenſiones, quæ duobus, aut etiam tribus membris illigantur, vt;

Comprehenſiones duobus aut tribus etiam mẽbris illigatæ, a concitata materia haud excluſæ.

Dido apud Vir.

,, En quid agam? rurſus ne procos irriſa priores
,, Experiar? Nomadumque petam connubia ſupplex,
,, Quos ego ſum toties iam dedignata maritos?
,, Iliacas igitur claſſes, atque vltima Teucrum
,, Iuſſa ſequar? quia ne auxilio iuuat ante leuatos,
,, Et bene apud memores veteris ſtat gloria facti.

reliqua etiam carmina videnda ſunt. Sunt tamen aliquando tam longa membra, vt pro multis inciſis valeant, vt ea

Membra longa pro multis inciſis quãq; valentia.

duo,

duo, quæ maxime implent, & quæ propè æqualia ſunt: quorum extrema Iſocratico more concinunt. quę κάλλος ad maximum ſui ornamenta poſtulat. κάλλος Iſocrates

Nam poſtquam imperio omnium gentium conſtituto diuturnitas pacis otium confirmauit, nemo ferè laudis cupidus adoleſcens non ſibi ad dicendum ſtudio omni enitendum putauit. Ornata materia.

Fit tamen vt ornata etiam materia modò vno, modò etiam duobus membris lęta incedat. vt in oratione pro lege Manilia. modò vno. modo duob⁹ etiā membris gaudet.

Atque illud in primis mihi lętandum iure eſſe video: quòd in hac inſolita mihi ex hoc loco ratione dicendi, cauſa talis oblata eſt; in qua oratio nemini deeſſe poteſt: dicendū eſt enim de Cn. Pōpei ſingulari, eximiaq́; uirtute: huius autē orationis difficilius eſt exitū, quā principium inuenire. Itaque mihi non tam copia, quàm modus indicendo quęrendus eſt. Cice. ꝑ lege Manilia

Omnium tamen pulcherrimus, qui quatuor ſecatur membris. qualis ille eſt in eadem oratione. Locus, qui quatuor ſecatur membris, omnium pulcherrimus.

„ *Humanitate iam tanta eſt: ut difficile dictu ſit, vtrum*
„ *hoſtes magis virtutem eius pugnantes timuerint, an*
„ *manſuetudinem victi dilexerint.* Cicero ꝑ lege Manilia.

Verùm cū continuatio in quinq; parteis tenditur, πνεῦμα dicitur, atque uehementię conuenit, vt pro Archia. πνεῦμα.

„ *Sed pleni omnes ſunt libri. plenę ſapientum voces, ple*
„ *na exemplorum vetuſtas; quæ iacerent in tenebris om*
„ *nia; niſi literarum lumen accederet.* * Cicero ꝑ Archia. * aliꝗ accenderet.

Verùm vbi ſupra quinarium membra multiplicantur, Mēbra ſupra quina

rium multiplicata. Comprehenſio lõgiſſima Ciceronis in fine vltimę actionis in Verrem.

maximè cum enumerationibus faciunt. neque vlla eſt lon gior comprehenſio illa Ciceronis, quę in fine vltimæ actionis in Verrem latiſſimè vagatur, vbi tot Deos, Deasque enumerat. Nam antequam verbum, ad quod oratio pergit, reperiatur, plus quàm triginta membra occurrunt; ſed antequam terminetur, ſupra quadraginta.

,, *Nunc te Iuppiter optime maxime, cuius iſte donum rega-*
237 ,, *le, dignum tuo pulcherrimo templo, dignum Capitolio,*
,, *atque iſta arce omnium nationum, dignum regio munere,*
,, *tibi factum ab regibus, tibi dicatum, atque promiſſum, per*
,, *nefarium ſcelus de regijs manibus extorſit: cuiuſque ſan-*
,, *ctiſſimũ, & pulcherrimum ſimulachrum Syracuſis ſuſtu*
,, *lit: teque Iuno Regina, cuius duo ſana duabus in inſulis po*
,, *ſita ſociorum, Melitę, & Sami ſanctiſſima, & antiquiſſi*
,, *ma ſimili ſcelere idem iſte omnibus bonis, ornamentiſque*
nudauit: Teque Minerua. & reliqua quę multa ſunt.

εὐκρίνεια περιβολῇ.

Atqui poſt multorum nomina, eorum ſpecies poſuit: deinde iterum nominatim eos inuocat, ut εὐκρίνειαν *inducat, Vtque a tã lõgo ductu* περιβολὴν *in ipſa* περιβολῇ *ſecernere oſtendat. Quod Virgilius quaſi imitatus eſt. Nam*

Virgilius in Georgicis.

vbi multa Deorum nomina inuocauit in primo Georgicorum, eorum ſpecies ſubdit.

,, *Dîque, Deæque omnes, ſtudium quibus arua tueri,*
,, *Quique nouas alitis nonnullo ſemine fruges,*
,, *Quique ſatis largum cælo demittitis imbrem.*
Deinde Auguſtum, quem Deum facit, & ſubiunxit,
,, *Tuque adeò, quem mox quę ſint habitura Deorum*
,, *Concilia, incertum eſt.*

Verùm

Verùm Virgilius ſæpe illa Deorum nomina, ſi rectè videbimus, periodo clauſit, ne lectoris animo ſtatim in operis principio longa nominum ambage graue eſſet verbum in fine expectare. Sed abeo a membris: quæ quoniam minutis quibuſdam orationis partibus, tanquam vinculis vinciri debent; de VINCVLIS aliquid dicamus. Sunt enim, & ſi minuta ſint, latinitatis certe flores, ipſiuſque eloquentiæ firmiſſima robora; quæ ſæpe etiam ad figuras referri poſſunt: quoniam non minus venuſtatis habent, vbi membra videntur defeciſſe, quàm vbi ea adnectunt. Videte igitur quàm figuratè Cicero, ne explanaret verbo aliquo id quod præceſſerat, dixerit,

Vincula, & ſi minuta, latinitatis certe flores, ipſiuſque eloquentiæ firmiſſima robora.

Cicero pro Quintio.

,, *Quæ res in ciuitate duæ plurimum poſſunt: hæ contra*
,, *nos ambæ faciunt hoc tempore, ſumma gratia, & eloquentia.*

At in primo de Natura Deorum explanationem ſubiunxit.

Cicero in primo de Natura Deorum.

,, *Vt magno argumēto eſſe debeat, cauſam, ideſt principium*
,, *philoſophiæ eſſe ſcientiam.*

In priori tamen nonparum expoſitionis ex illo, quę, eiuſque redditio, hæ, manauit. Atque earundem virtute fit, vt neque, quidem, neque alia eiuſmodi pars, ne in ſequentibus quidem locum habeat.

Cicero pro Quintio.

,, *Quarum alteram C. Aquili vereor. alteram metuo.*

At ea quæ ſequuntur, vinculo liberantur.

,, *Eloquentia Q. Hortenſij ne me dicendo impediat, nonni*
,, *hil commoueor: gratia Sex. Nęuij ne P. Quintio noceat,*
,, *id vero non mediocriter pertimeſco.*

Vi-

Videamus etiam quanta elegantia loco vinculi figuram adhibeat vbi exceptiua aliqua expectaretur, vt in eadem pro Quintio.

,, *Non eò dico C. Aquili, quò mihi ueniat in dubium tua fides &c. Et ne diceret uerùm, aut ſed, quod expectabatur, figura reddidit, quam Cicero percunctationem, expoſitionemque ſententiæ ſuæ appellat. Quid ergo eſt? Sed in narrationis principio cum opus eſſet, vt ter eiuſmodi exceptiua vteretur; priori loco tacuit; ſecundo poſuit, uerun tamen; tertio, Quid ergo eſt?*

,, *C. Quintius fuit pater P. Quintij huius frater, ſanè cætera*
,, *rum rerum pater familiàs & prudens, & attentus; vna*
,, *in re paulo minus conſyderatus.*

non dixit, ſed vna in re paulo minus conſyderatus, quod intelligitur. deinde ſequitur.

,, *Qui ſocietatem cum Sex. Neuio fecerit, viro bono; veruntamen*
,, *men non ita inſtituto, vt iura ſocietatis, & officia certi pa-*
,, *tris familiàs noſſe poſſet.*

Audiſtis (veruntamen?) mox hæc ſequuntur.

,, *Non quò ei deeſſet ingenium: nam neque parũ facetus ſcur*
,, *ra Sex. Neuius, neque inhumanus preco eſt vnquam exiſti*
,, *matus. Quid ergo eſt?*

Cum etiam in principio incommoda enumeraturus eſſet, quę per enumerationem quandam dici ſolent: enumeratio autem per adnectenteis parteis ne diceret ſemper, &, aut aliquid ſimile, vbi ſemel dixit,

,, *Summa gratia, & eloquentia.*

Cum tertium incõmodum dicere uellet, his verbis addidit.

Illud

Illud quoque nobis accedit incommodum. ,,

At Corydon apud Virgiliũ, ne multas parteis eodem modo copulanteis tanquam in ſatietatem conijceret, mirè in appoſitione cuiuſlibet munuſculi vincula uariauit. non ſolùm his partibus; Nymphis tribuens liliorum dona, non ſibi. atque his vinculis, &, ſed, tum, atque: verùm etiam his partibus, ipſe ego, hocque verbo, addam, atque elegantiſſima conuerſione ad Lauros, & ad Myrtos.

Mira apud Virgiliũ vinculorũ variatio.

Corydon apud Vir.

Huc ades o formoſe puer: tibi lilia plenis ,,
Ecce ferunt Nymphę calathis: tibi candida Nais ,,
Pallentes violas, & ſumma papauera carpens ,,
Narciſſum, & florem iungit bene olentis anethi. ,,
Tum Caſia, atque alijs intexens ſuauibus herbis, ,,
Mollia luteola pingit vaccinia Caltha. ,,
Ipſe ego cana legam tenera lanugine mala, ,,
Caſtaneaſque nuces, mea quas Amaryllis amabat. ,,
Addam Cerea pruna, & honos erit huic quoque pomo. ,,
Et vos o Lauri carpam, & te proxima Myrte, ,,
Sic poſitæ quoniam ſuaueis miſcetis odores. ,,

Sunt etiam plures quaſi modi, quibus in tranſitionibus diuerſę res adnectuntur. cuiuſmodi ſunt, age uerò, iam verò, nunc, atque, hi. Sed vt ad ea, quæ difficiliora ſunt, veniã, Accipite quemadmodum authores grauiſſimi COMPOSITIONE, EXTREMIS, NVMERO, *atque* HARMONIA *vtantur.* COMPOSITIO *igitur eſt verborum quædam aptiſſima conglutinatio, non hiulca, non laxa, non malè ſonans. Atque vt de his quatuor ſimul dicam, hæc ſingula in ſagitta poteſtis agnoſcere. Quemad*

Modi in tranſitionibus diuerſas res adnectentes.

Compoſitio quid eſt.

modum

Compoſitionis, extremorũ, numeri, atque harmoniæ in Periodis declaratio, exemplo a ſagitta capto.

modum enim ſagitta quatuor continet: ſummitatem illam, quæ à contento, atque impellente neruo motum accipit: ligneam, firmam, leuemque rectitudinem, quæ motum alacritate ſua gerit: ferrum in extrema parte, quo vulnera fiunt: atque feriendi vim. Ita Periodus, quem eloquens in auditorum, lectorumque corda per aureis inijcere vult, principia habere debet ad ſuſcipiendum impetum apta: corpus ita rectè compactum, vt eius firmitas, quæ ex pulchra ſtructura confici debet, vim a capite acceptam in extremum illud fundat, quo auditorũ animos per aures configat, Quare Cicero aureis dixit ſemper extrema expectare. Totum igitur Periodi corpus Compoſitio eſt: caput, atque finis Extrema ſunt; partes tamen compoſitionis ſunt; at poſtremum expectatur, poſtremumque ferit: Virtuſque illa feriendi Numerus eſt, atque vnà Harmonia. Sed quoniam horum omnium Compoſitio eſt fons, nihil prętermittendum eſt, quod ad eam pertineat.

Compoſitio, fons cæterorũ in periodis.

Quare accuratius agi non poterit a nobis, quàm ſi ad probatiſſimorum normam etiam verba conſtruemus. Sed quia id ex carmine magis percipitur, audite Virgilium, quàm ſæpe ſui etiam ſit ſimilis. Hæc enim quatuor carmina tribus biſyllabis, duobus triſyllabis, biſyllaboque, iiſdẽ accentibus, pedibuſque conſtant.

Virgilius.

" *Mala ferant quercus: narciſſo floreat alnus.*
" *Ipſe dedit Mœris: naſcuntur plurima Ponto.*
" *Prima Ceres ferro mortales vertere terram.*
" *Sæpe Deum nexis torquibus aræ.*

Hæc tamen tria, quæ ſequuntur, non byſillabis, non triſylla-

triſyllabis, neque accentibus, ſed pedibus a præmiſſis quatuor deſciſcunt, ijſdemque legibus incedunt. Virgilius.

Quanuis multa meis exiret victima ſeptis. ,,
Illic ſera rubens accendit lumina veſper. ,,
Donec talis erit mutato corpore, qualem. ,,

In quibus quidem carminibus ſi qua varietas eſt, a diuerſarum literarum ſono proficiſcitur. Quare non ſolùm rebus, aut nullius, aut tardi motus Virgilius carmina paucorum verborum adhibuit, vt pedum celeritas, atque accentuum paucitas abeſſet, vt in his, quæ ex quinque tantùm verbis conficiuntur duobus biſyllabis, duobuſque triſyllabis, biſyllaboque in fine. Virgilius.

Aſpice conuexo nutantem pondere mundum. ,,
Squamea conuoluens ſublato pectore terga. ,,
Incipe, paſcentes ſeruabit Tityrus agnos. ,,

Sed etiam extrema literarum apto ſono munit. Orationũ tamen extrema, cum materia patitur, ſi longiſſima, etiam pulcherrima ſunt, modò accentus in ea parte ſonet, quæ gratior ab auribus iudicetur. Sed hæc vt rectius cognoſcantur, ſciendum Platonem in hoc Rhythmum ab harmonia ſeiunxiſſe: quòd Rhythmus, qui numerus a latinis dicitur, ex breuium, longarumque ſyllabarum quantitate conſtet; Harmonia ex accentibus: quam hac de cauſa naturæ propinquiorem, atque amiciorem arbitramur; quod Cicero innuit multitudinem magis harmoniæ, quàm Rhythmi menſura vti, cum in Oratore ſic ait,

Differẽtia inter Rythmũ, & Harmoniam ex Platone. Rythmus à Latinis numerus dicitur. Harmoniæ magis quàm rythmi menſura vulgo nota. Cicero de Oratore.

In verſu quidem theatra tota exclamant, ſi fuit vna ſyllaba aut breuior, aut longior. Nec verò multitudo pedes ,,

,, *nouit,nec vllos numeros tenet; nec illud quod offendit,aut*
,, *cur,aut in quo offendat intellgit : & tamen omnium lon-*
,, *gitudinum , & breuitatum in ſonis , ſicut acutarum,gra-*
,, *uiumq̀ue vocum iudicium ipſa natura in auribus noſtris*
,, *collocauit.*

Multa in compoſitione & harmonia conueniũt ſoloq; rythmo diſſerunt.

Fit tamen,vt multa ſæpe in compoſitione,atque in harmonia conueniant.ſed Rhythmo tantùm differant, vt illa

Virgilius

,, *Quanuis multa meis exiret victima ſeptis.*
,, *Ipſe dedit Mæris : naſcuntur plurima ponto.*

Diſſenſio in accẽtu.

At aliquando etiam in accentu diſſentiunt , vt in his duobus,quæ ex quadriſyllabo, triſyllabo,quadriſyllabo,biſyllaboque compacta ſunt.

Virgilius

Agricolæ hiberno lætiſſima puluere farra.
,, *Cæruleus pluuiam denuntiat igneus Euros.*

Numeri ex carminibus,harmoniæ ex oratione magis ſenſu percipiuntur.

Dionyſius Halicarnaſeus.

,, *hiberno enim in penultima,pluuiam in antepenultima accentum habet.Verùm cum aureis meas conſulo, ex carminibus magis numeri, ex oratione harmoniæ ſenſu percipiũtur,mihiq̀ue aſſentitur Dionyſius Halicarnaſſeus in eo libello,quem ad Rufum Melitium ſcribit.vult enim,ut oratio tonis,hemitonijsq; διὰτεσσάρων vel διαπέντε mẽſuretur,de quibus nos alibi late.At qua de cauſa tot extrema in fine periodorum in proœmio ſecundi de Inuentione, etiam ſine interpoſitione eadẽ penè harmonia διὰτεσσάρων metiũtur? nulla certe re magis differunt,quàm numero.tot enim ſyllabas,eundemq̀ue locum accentus habent,non tamen ſẽper eundem numerum . numeràtur ; viderèntur : videbàtur : laboràrent:ducerèmur : enitèret .* Harmonia nõ tantùm ex accẽtibus ſed ex literis etiã *Neque harmonia tantùm ex accentibus, ſed etiam ex literis colludentibus ſæ*

pe

pe reſonat. audite quæſo membrum aliis de cauſis triſte, hac ſola lætum. quemadmodum enim a iudice conſolationẽ petit, ita etiam ſe ipſum iam quaſi a triſtitia abducit. colludentibus ſepe reſonat. Cicero pro Quintio.

Quæ quò plura ſunt C. Aquili: eò te, & hos, qui tibi in con ,,
ſilio adſunt; meliori mente noſtra verba audire oportebit: ,,
vt multis incommodis veritas debilitata, tandem æquitate ,,
talium virorum recreetur. ,,

In vltimo enim membro hæc magna concinnitate auribus blandiuntur.

tis, tas, tata, tan, tate, ta, rorum, re, ur.

At miro quodam modo Virgilius etiam in ſo, ſe, ſi. Virgilius.

Et ſola ſecum in ſicca ſpatiatur arena. ,,

Quid? apud Virgilium paſtor ille ter ab, m, incipiens Virgil. in Bucolicis

Phyllida mitte mihi, meus eſt natalis Iola. ,,

mirè animos mulcet. Verùm Menalcas ruſtico more os aperiens toties a vocali aut deſinens, aut incipiens, etiam riſum mouet.

Phyllida amo ante alias, nam me diſcedere fleuit. ,,

Cum etiam alibi Nymphas flere dicat, ut dulciſſimum ali quid in eorum fletu immiſceat, in primo carmine his ſyllabis phæ, fu, phnim, delectatur, in ſequenti, l. ſuauem liquidam interpoſuit, fle, flu, atque hac ſyllaba, phis, carmen abſoluit. Virgilius in Daphnide.

Extinctum Nymphę crudeli funere Daphnin ,,
Flebant, vos Coryli teſtes, & flumina Nymphis. ,,

Sed cum ex integris dictionibus eiuſmodi colluſiones aureis tenent, ad figuram repetitionis reducuntur; vt illæ, quæ cõficiuntur ex hoc verbo, ſunt, quod quater ſe ipſum eo- Colluſiones ex integris dictionibus ad figurã repetitio-

nis reducuntur. *dem tempore apud Ciceronem.*

Cicero. » *In eloquentia autem multa ſunt, quæ tentant, quæ ſi omnia*
» *ſumma non ſunt, & pleraque tamen magna ſunt, neceſſe*
» *eſt ea ipſa, quæ ſunt, mirabilia videri.*

Idem tamen ad Lentulum bis hoc verbo ſunt, bis etiam
Cicero ad Lẽtulum. *hoc verbo volo, luſit, ſed ſecundum modo variauit.*
» *Regis cauſa ſi qui ſunt, qui velint, qui pauci ſunt, omnes*
» *rem ad Pompeium deferri volunt. Sed de his etiã ſatis.*

Sũma huc vſque dictorum. *Cum igitur FRANCISCVS REX, qui omnibus ingenij, memorię que gloria antecellit, eadem conſilia ex locis, ex imaginibusque meis cuilibet materiæ, quibuslibet affectionibus, commentis, aſſumptis, argumentationibus, vijs dicendi, ordinibus, uerbis, figuris dictionum, membris, vinculis, compoſitionibus, extremis, numeris, atque harmonijs admouere poterit; quibus tantum (ni fallor, florentiſſimi authores in omneis ætates ſuarum laudum commemorationem ad ſpem quandam immortalitatis propagarunt: quid eſt quod miremini, me Regi prudentiſſimo eas virtutes conſiliorum, verborũq; propoſuiſſe quibus venerãda illa vetuſtas uſa eſt? Et ſi ſciam, cum conſilia, verbaque propoſui; Regem, ea tantum conſilia me propoſuiſſe, quæ ad verborum deligendorum iudicium pertinent, arbitratum fuiſſe. Quare hæc etiam alia præter opinionem ad Regis propè diuinam mentem paulatim accedent. Docete vos quæſo, quibus modis melius ad probatiſſimorum imitationem tantus Rex aſpirare ſe fateatur: meque etiam ſi dignum feceritis, ſtatim ad meliorem diſciplinam applicatum videbitis. Reſtat, vt reſpondeam*

cur tandiu in tenebris deliturim. Ego cum viderem ſcriptorum mentes ita omnia nobis in libris diſſoluta, atque implicata dediſſe, vt nulli nobis rerum fines eſſe viderentur: ſi poſſem ratione aliqua conglutinationem, atque explicationem rebus omnibus inuenire, ſi poſſem diſciplinarum fructus, ſi poſſem verborum flores, artificiorumq́ue vim ad certiſſimas normas, locosq́ue dirigere, atque hęc omnia prompta pro meis viribus tradere; digniſſimum Philoſophia iudicaui. Me tamen, quòd hęc in plateis non fecerim, quòd oſtentator non fuerim, me inquam qui lucem tenebris attuli, in tenebris latuiſſe dicis? deformatæ profectò hyemis, ſi neſcis, more feci. Hæc ſine floribus, ſine herbis, ſine frondibus horridum, turpemq́ue aſpectum præſeferens, in penitioribus, in intimis terræ locis maxima, atque vtiliſſima negocia conficit: ibi fœtus concipit: ibi ad grandem, variamq́ue vbertatem pariendam ſeſe accingit. Hanc Geryonis nomine antiquiſſimi nouo figmento texerunt, Solisq́ue poteſtatem Herculem fecerunt; boues autem, ꝙ ſtatim hyemem tonitrua conſequantur, fabulati ſunt. Quid multa? nonne tandem magna hæc veris parens lectiſſimos flores parit? Ita ego noua quidem hyems, nouus Geryon, de quo hactenus omnis ſpes vtilitatis videbatur repreſſa: hoc tamen opus intus moliebar nunquam laborum expers, ſemper in acerrima, atque attentiſſima cogitatione poſitus: quoniam Deus mihi Hercules, mihi Sol, a me omnem ſegnitiem, omne inertię vitium ſemper abſtulit; virtutemq́ue ſuam in me aliquando languentem excitauit. Sed arrige aureis, nonne audis iam boues proximè

Cur tādiu author ipſe in tenebris deliتuerit.

Perbella comparatio authoris cū hyeme & Geryone.

Allegoria fabulæ Geryonis.

ximè mugire? mugiunt certe, mugiunt. Sperandus eſt, ſi paruis magna conferre licet, veris mei vberrimi aduentus, ſperandi fœtus. quot igitur tonitrua? quot vbique mugitus? quot murmurationes in me audiuntur? Iam aliquid de modeſtia mea ſcire vis? Scio te (vt de Dinocrate Architecto ſileam) aut legiſſe, aut certe audiuiſſe Dauidem paſtorem in vmbris diu verſatum, eum tandem opportunitate adductum in ſplendorem armati exercitus veniſſe, Regem adiuiſſe, allocutum fuiſſe, negocium ſuſcepiſſe: prius tamen quàm ei datum fuiſſet; quoniam videbat Regem cohibere aſſenſum (corporis enim breuitas, aſpectus ab omni amplitudine, ab omni dignitate inops, verba inculta omnem Dauidi paſtori ſcilicet fidem abrogabant, aſſenſum tollebant) ea cœpiſſe de ſe ipſo prædicare, vt intolerantius fuiſſe iactatum diceres. Quid? Ego, qui ex Vrſi, ex Leonis faucibus partem gregis aliquando eripui; in hominem vnum, etiam tam magnum, tam armatum inermis, lapide tantùm, & funda, vbi te Deus mearum virtutum ſpectatorem conſtituit, impetum non faciam? Quare niſi Dauid ad Regem acceſſiſſet, niſi ſe ipsũ certis laudibus in tempore honoraſſet; Rex ei fidem non adhibuiſſet, atq; tam nobile facinus non apparuiſſet. Si igitur ego Dauidem imitatus ſum: ſi etiam de iactantia illa aliquid me detraxiſſe oſtẽdero: quæ te mala crux agitat, qui mihi impudentiæ maculã inuris? qui me à modeſtia mea crudelis diſtrahis? Audi quibus carminibus mentẽ meam Nymphã, Regẽ meũ Damonẽ nominauerim; quibus commentis, quibusq; verbis ad Nymphã, quæ ſylueſtris penitus

Author Dauidem imitatus.

tus

tus nõ ſit, pertinẽtibus, ipſa cõquerẽs ſeſe gloriatur, vt Franciſcũ Regẽ in rẽ honeſtam, atq; vtilẽ deducat. Tantũ enim abfuit, vt impudens fuerim, vt magis putauerim Nympham decuiſſe, quàm me tam magna polliceri.

Damon, crudelis Damon: quem pectore toto
Nequicquam miſera excepi: patriamque peroſa,
Vt tibi ſerua forem, vernantia leminis arua,
Adriacas Nymphas, & Daphnin dura reliqui.
Ergo ego Nympharum non vltima ſpreta reuertar?
Ergo egò, quæ toties muſis immiſta Latinis
Luminibus Faunos cępi, Phębumque canendo,
Nunc patrios ſaltus muſis malè grata Latinis
Luminibus, cantuque ſimul contempta reuiſam?
Mè ne fugis Damon? Damon mea maxima cura,
Cura Deùm, paſtorque hominum, cui Celtica rura,
Rura immenſa, immenſis parent paſcua campis.
Quam fugis ah Nympham Damon? quæ lilia pleuis
Aurea viminibus tulit: aurea lilia cordi
Si tibi, quæ cœlo miſit Venus aurea quondam,
Aurea ne ſpernas contextis lilia virgis.
Poſſum ego, cum varios tibi ducunt prata colores,
Et cum fluminibus glacies retinacula tendit,
Arbuteis violas halanteis ferre caniſtris,
Ni refugis, poſſum vitæ immortalis honorem
Ambroſiam, & longum mortis domitura ſoporem
Miſta papaueribus Damon mea myſtica veſcis.
Sunt mihi cœleſtes hauſtus, arcana Deorum,
Quæ tibi crudelis Damon, tibi dedita ſeruo.

Carmina ipſius Iulij Camilli, p Nympham mẽtem ſuã, & per Damonem Franciſcũ Regẽ allegoricè intelligẽtis.

Te

Te tamen abducit venatum Delia ſemper.
Hei mihi te ſemper venandi cura fatigat.
Me miſeram, in Syluis ſunt multa pericula: multæ
Intentæ mortis facies: multa ora ferarum
Plena minis: & plena fame uel cæde cruenta.
Hic ſpumoſus aper, qui ſeſe in prælia ſemper
Suſcitat: huius tu ſpoliorum incenſus amore
Ante alios audes ſemper crudeſcere pugna.
Nulla fides telis. nam ſæpe immanior vrſa
Dentibus exertis crepitat: non vrſa pericli,
Telorumque memor, totam ſe in vulnera iactat.
Ah ne te incautum lędat: ne ſe offerat vltro:
Ah tua ne effugiat, neu frangat cautior arma.
Damon, crudelis Damon: quem pectore toto
Nequicquam miſera excepi: patriamque peroſa,
Vt tibi ſerua forem, vernantia Leminis arua,
Adriacas Nymphas, & Daphnin dura reliqui.

Iacobus Colinus. *Ignoſce Iacobe Coline vir ornatiſſime, quem honoris cauſa nomino; niſi carmina hæc ad eum finem perduxerim, quem tibi pollicitus ſum. non enim licet me ea adiungere, atque in medium proferre nunc: quæ Rex non habuit, non audiuit, non legit tunc. Sed ad vos, qui mihi iniqui eſtis, redeo. Quid eſt, quod a me amplius expectatis? fortaſſe, vt ea vobis effundam, quæ vt Regi maximo ſeruem, quoad ei collibuerit, tanquam myſteriorum fonteis occultiſſimos, fidei, taciturnitatiſque caſtello continere debeo. Vos profectò veſtra, ſi id expectatis, fallit opinio. Regis tamen, qui Regibus omnibus liberalitate antecellit, in*

vos

vos etiam (certiſſima ſpe ducor) aliquando benignitas mi nimè claudetur. Ego enim, vt hæc communi commodo probata, aliquo tempore conſulerēt, in Regis totius chriſtia ni nominis tanquam in cōmunis omniū Regis iudiciū, fidē, atque poteſtatem ea, meque ipſum totum dedi. At vultis ne probatiſſimorum teſtiū, eorūque, quorū & dignitate, & in omni literarum genere excellentia commoueri debuiſſem, nomina audire? Sed quid quęro velitis ne faciam id, cum ex re mea maximè ſit futurum? Verùm qui potero ſuſpicionem effugere? ne Gallorum nobiliſſimorum auribus, quos præcipuè nominabo, aliquid dare velle: ne inquam laudibus, quas potius enumeraturus, quàm enarraturus ſum, eorum gratiam velle aucupari videar. Quorum virtutes, ſi vt pulcherrimè elucent, ita vobis, qui ab illis eſtis remotiſſimi, eſſent perſpicuæ; & credere maximo virorum teſtimonio, cum nomina tantùm dicerem, animū ſtatim induceretis; & me hac ſuſpicione, quam maximè timeo, liberaretis. Vtrum igitur faciendum eſt? in altero periculū eſt, ne ab aſſenſu voſmet ſuſtineatis: in altero, ne auribus eorum me velle ſeruire putetis: in illo certè teſtes grauiſſimos fortaſſe apud vos non haberem; in hoc non ſolùm fideli prædicatione meos teſtes, eoſque, quos non mediocriter vereri debebam, commendabo: Sed etiam cum quorundam in me beneficia prædicabo; quibus me, niſi verum attigiſſent, non fuiſſent complexi; debitum viris de me optimè meritis animum præſtabo. Atque illud quis ante me fecit, quæro. hoc præſtantiſſimorum exemplo certe facere potero. Nonne igitur creditis ante meam profe

L ctionem

ctionē in Galliam, me; qui omnia ſaltem officio mētiri ſoleo; accurata conſyderatione ſæpe. & multum collegiſſe animo, quid modeſtum, quid amantem veritatis, quid bonū virum, quid chriſtianum hominem deceret? Suſtinebam enim perſonam non ſolùm meam; in qua is eſt pudor, vt aliquando meis etiam rationibus obſit: ſed totius Italię, cuius nomen nefas mēdaci maculare audacia. Neque dici poteſt me; qui ita confuſis, & perturbatis verbis loquor; qui ita lingua ſæpe hæſito, vt quodam modo mihi ipſi obſtrepere uidear; loquacitate fretum, quæ ſępe mentis auditorum aciem perſtringit, ſed ſola ſimplici, & nuda veritate ad fidem faciendam apta Regem adiuiſſe. At quem Regem? FRANCISCVM GALLORVM REGEM, eo ingenij acumine præditum, eo memoriæ theſauro præſtantem: vt ſi quidquid excellit iuſtam venerationem habet, hic certe etiam cum maieſtatem regiam tegumento aliquo occultare vellet, fieriq́ue nobiſcum par; præ omnibus tamen, & magnitudine ingenij, & multarū ſcientiarum notitia, & memoriæ excellentia in illis retentis, & gallicana eloquentia in ijſdem ornandis, dignus omni veneratione videretur. Aderat, concluſa ianua firmiter, cum me audiuit, cum rei periculum fecit, ANNA tātùm Memorancæus totius Gallię maximus Præfectus; vir ſumma dignitate, & authoritate; vir etiam natura, atque virtute ampliſſimus: quem profectò fallere durum fuiſſet. Ne viuam, ſi Rex non modò quidquid dixi ad animum retulit, verùm ita recitauit; vt melius artem, qui accepit, quàm qui tradidit, ſcire dixiſſes. A dire tantum

Iulius Camillus hæſitationé linguæ patiebatur.

Franciſci Regis laudes.

Anna Moráceus totius Galliæ maximus Præfectus.

tum Regem ego auſus? ego, qui peregrinus; ego, cui natura poſſe loqui non ſemper largita eſt; niſi illud incommodũ ita in bonum conuertiſſet, vt mihi ſinceritatem in corde, veritatem in rebus dediſſet? Nonne putatis me etiam in oculis ſemper habuiſſe ſapientiſſimas, atque ornatiſſimas fęminas, LVDOVICAM tanti Regis matrem, totius regni gubernatricem: MARGARITAMQVE Reginã Nauariæ ſororem? quæ nõ ſolùm accerrimo iudicio valent, incredibilique ingenio præſtant: Verùm illa, præter cæteras arteis ingenuas; quas non mediocriter libauit; in eam, quæ de aſtris, deque ſyderibus eſt, ita incubuit, vt ſæpe velut regni pondus in locum filij ſuſtinuit, ita ipſi quoq; cęlo, ne ſemper Atlas grauetur, tanquam oneri ſucceſſerit.

Ludouica Franciſci Regis mater.

Margarita Regina Nauariæ, Franciſci Regis ſoror.

Ambæ doctiſſimę fęminæ.

In hac, quæ acuta, parata, & copioſa eſt, magna etiam eorum librorum eſt occupatio: qui hortantur nos, vt de illa potius perpetua, quàm de hac exigua, caducaque vita cogitemus. O Rex fortunatiſſime, tu ne tali matre, taliue ſorore; an mater te tali filio, ſororne te tali fratre fortunatior? Sed quoniam LEONORA etiam Regina vxor ad hanc fortunam accedit, accedunt filij, filiæque maximi parentis honoribus ſuccreſcentes. accedit Nauarię REX ornatiſſimus ſororis tuæ coniux. veſtras has tot, tantasq́; virtutes, quia multi ſermonis ſunt, in aliud tempus mihi numerandas reijcio. Iam verò grauitas, dignitas, amplitudo quatuor tum Procerum, qui ſacerdotali rubent purpura, quique toti Gallię virtutum ſplendore, vitę probitate, ſcientiarũ cognitione ornamento ſunt: ſi mendacij conſcius fuiſſem, greſſus mihi certe cohibuiſſent. Magnus enim

Arguta cõparatio

Leonora Regina vxor Frãciſci Regis, ſoror Caroli Quinti Imperatoris.

Proles Frãciſci Regis.

Quatuor Cardinales primarij Galliæ

Magnus Legatus.

LEGATVS, qui iuris ſcientia: qui multarum rerum peritia, honoribus, & regni muneribus eſt florentiſſimus: a quo olim tanquam a Pythij Apollonis oraculo populi, Principes, Reges conſilia expetebant: nunc tanquam futurum in terris Iouem ſumma proſequuntur veneratione, non longè aberat. At BORBONIVS ille ſummo loco natus, cui magna vis ingenij: magnarumque, atque optimarum artium ſtudium: in quo hæc præclara dicendi facultas viget, technas meas (ſi technas moliebar) dubias mihi reddidiſſet. Et niſi res probata fuiſſet, ei tam facile non eſſet aſſenſus IOANNES Cardinalis Lotharingus, iuuenis clariſſimus, alto Ducum, Regumq; ſemine; qui cum omni laude virtutis ornatus ſit, hoc etiam laudabili ſtudio tenetur. Is meæ nauis ad excipiendos regios flatus moderator fuit: is portum ſuperata tempeſtate obtinuit: is etiam coronam puppi impoſuit: Cuius quidem beneficiorum vinculis ita nauis aſtricta eſt, vt ſe commouere nequeat. Teſtis etiam TVRNONIVS eſt: cuius ſenſus aliquando implorauí meæ erga Regem fidei. Turnonius inquam ille, cuius clariſſima nobilitas etiam inter clariſſimos emicat: cuius mens multis, optimiſque diſciplinis referta eſt. Debuiſſet etiam timor mihi pendere ex ſumma prudentia, ſummaque literarum cognitione GABRIELIS AB AGRIMONTE viri, cui cum ſplendidiſſimis natalibus ſplendidiſſima dignitas coniuncta eſt: quoniam nunc QVINTVS CARDINALIS ad eos acceſſit, quos maximè nominaui. Dices, tum non aderat: erat certe aliquando aſſuturus.

Cardinalis Borbonius.

Cardinalis Lotharingus.

Cardinalis Turnonius.

Gabriel ab Agrimonte, quintus Cardinalis Gallus.

Quò

Quò igitur iui? in Regnum profectò, & Rege omnium virtutum ſtudioſiſſimo, & matre, ſororeque, ac ampliſſimis, doctiſſimiſque Cardinalibus, tot etiam Gymnaſijs omnium bonarum artium, tot viris omni doctrina ſingularibus ornatiſſimum. In curiam profectò iui ijs ingenijs, eaque ſcientiarum, linguarumque varietate excultam, vt haud facile ſis ei parem inuenturus. Quæ in primis IACOBI COLINI præſtantiſſimum ingenium, tanquam coruſcantem facem mihi tetendit. cui eximia, incredibiliſque omnium antiquarum rerum memoria eſt. nihil certe ei deeſt, quod aut a natura, aut a doctrina proficiſci, aut ex pectari poſſit. Hic ille eſt, cuius ſuaui, canoraque voce, cuius doctiſſima lectione optimus Rex quotidie ſine intermiſſione delectatur. dicerem etiam de te nunc THEOCRENE vir multæ, variæque doctrinæ, qui Colino in glorioſo labore cum græcis teſtibus in conſpectu Regis ſemper ades; niſi etiam te alter aduocaret locus. hic igitur ille Colinus eſt: cuius gallica, latinaque ſcripta nullam habent literam, quę ſpem æternitatis non habeat. Quid multa? multa profectò de hoc dicere nunc pro rei veritate, proque eius erga me meritis non poſſe doleo. Nam quoties eius opera honorificum mihi locum apud tantum Regem patuiſſe conſydero, quoties muſas meas, quoties meum Apollinem in tranquillo futurum eſſe conſydero, quæ ſępe, multumque conſydero; toties Colini officia, atque beneficia cōſydero. TEONITIÆ EPICOPE ex præclara Arſagorum familia, vitæ ſanctitate, bonarumque literarum amantiſſime. Te ANNIBAL Conſaga

Regnum Galliæ ſub Rege Franciſco primo huius nominis florentiſſimum.

Iacobus Colinus vir pręſtātiſſimi ingenij, & ſingularis doctrinæ.

Theocrenus, vir multæ, variaque doctrinæ.

Teonitię Epiſcopus ex pręclara Arſagorum familia.

Annibal Conſaga

ſaga

Nuuolariæ Comes. *ſaga Nuuolariæ Comes, ſummę nobilitatis, ſummæq; vir*
tutis iuuenis: Te IOANNES FRANCISCE Me
Ioannes Frãciſcus Mediolanenſis. *diolanenſis Phyſice inſignis: Te JVLI CROTE ele-*
ganti doctrina vir: quibus etiam multa debeo Colini offi-
Iulius Crotus. *ciorum: quę ſępe ex vobis mihi percepta, cognitaque fue-*
Gulielmus Belayus & literis & armis inſignis. *runt, meęque erga illum obſeruantię teſtes appello. Dum*
tamẽ hęc agebantur, GVLIELMVS BELAYVS
clariſſimo genere iuuenis erat apud florentiſſimum Regem
Angliæ. Gulielmus inquam Belayus: quem aliquando
cum poteſtate, atque imperio in Italiam Rex mittere eſt ſo
litus: qui prœlijs, oppugnationibus, pugnis etiã naualibus
honeſtiſſimam gloriam ſępe in Galliam reportauit: cuius
oratio, cuius carmen ea dicendi vbertate, ea rerum feſtiui
tate, ea verborum puritate nitent; vt tot, tantaque vix
a nobiliſſimo, fortiſſimoque iuuene, vix a militari faculta
Epiſcopus Belayus eloquens ſimul atq; eruditus. *te quiſquam putaret expectanda. Cuius etiam frater Epi-*
ſcopus multa eruditione, multaque eloquentię vi inter mul
tos præſtantes excellit. quo fit vt Gallia iam hęſitet in
Fratrum duorum Belayorũ cõparatio *hoc, plus ne ornamenti Gulielmus fratri, an frater Guliel-*
mo ſcientiarum cognitione, latinitatis, elegantię morum
etiam ſuauitate afferat. Ex huius igitur Gulielmi officijs,
humanitate, gratia, plurima commoda mihi animus ad
negotium meum ventura antedicebat. Expectabam, non
veniebat, non aderat: expectationi tãdem reſpondit, venit,
affuit, aureos partus magnę huius rerum, verborumque
parentis vidit, admiratus eſt, exarſit, Regem etiam ſuo ar
Gradatio *dcre magis incendit. Quo factum eſt, vt ex incenſione ad-*
uocatio, ex aduocatione periculum, ex periculo fides, ex fi-
de id,

de id quod iam uidetis, profectum ſit. Lætior mihi non aſfulſit dies GERMANE BRIXI*, eo, quo in tuos amplexus, in tuam fidem, in tua etiam de me ſuſpiria incidi. Vtinam æque ſerenus alter mihi illuceat, quo potius re, quàm oratione tibi declarare poſſim, me, quòd ſine Regis colloquio non abierim, quòd negotium pulcherrimè confecerim; quòd veſter etiam tam honorificè futurus ſim, tibi acceptum referre. Tu Gulielmum, tu Colinum, tu te ipſum mihi coniunctiſſimum reddidiſti: tu ſemper feciſti, vt ex tuis ſapientiſſimis conſilijs, ex aſſiduis concurſationibus cognoſcerem mihi ipſi maiori curæ rem meam non eſſe, quàm tibi. At hæc omnia qua de cauſa? quoniam tu, qui græcis, latiniſque literis multis doctiſſimis multarum gentium anteſtas; vt tua clariſſima latinè, græcéque ſcripta & verſibus, & ſoluta oratione declarant; tale ſumpſiſti de re mea ſpecimen, vt te, qui maximè ſtudiorum labores cognoſcis, maximè etiam in officium inducerent. Non longè abes à Brixio amore, labore, officio, beneficio* MELLINE SANGELASI*, iuuenis eloquentiſſime: quem fortuna in ſummo nobilitatis; natura venuſtatis; voluntas, atque labor literarum latinarum, græcarumque gradu collocauit. Nec te minus Apollo cum cithara, quàm cum libris delectat. Te cum gratiæ, tecum lepores, tecum amores: ſed ij, qui te ad omnium amorum parentem deducant. Nullum etiam abs te patrocinium charitatis erga me excluſum fuit,* SALMONI MACRINE*, ſuauis, docte, ſapiens poeta: qui in Parnaſſo florens ita te ad Pindari, atque Horatij*

Germanus Brixius.

Rapetitio

Mellinus Sãgelaſius

Salmonius Macrinus.

odar

odas exerces; vt difficile ſit cognitu, vter in carminibus
Ianus Syluius Foreſtanus. tuis dulcius immineat. Nullum abs te IANE SYL-
VI FORESTANE: qui parentum diligentia ab in-
firmiſſima ętate tãquam a nido ad græcas literas delatus,
Ioannes Laſcaris. è gremio eruditiſſimi, nobiliſſimique IOANNIS LA-
SCARIS ita ſublimis euolas; vt te potius deficientibus
oculis ſuſpicere, quàm ſequi poſſimus. Etenim græcè ita
loqueris, vt vix doctiſſimi de ſcripto recitarent. Ad Ci-
ceronem verò, atque Virgilium ſtyllo illo dulciſſimo tam
proximè accedis, quàm ad nobilitatem, ad mores, atque
ad parentum tuorum vultus; quos tu præclara & corpo-
ris, & animi pulchritudine refers. Tene tacitum tene
Gerardus Ruffus. bo GERARDE RVFFE vir ſanctiſſime? cui Chri-
ſtus præter multarum ſcientiarum ornamenta mirè eius
linguæ ſciẽtiã dedit; quã dum ſerui formã gerebat, locutus
Lateranus. eſt. Tene LATERANE vir acumine ingenij, varia
Selua Epiſcopus. doctrina, varijſque linguis præſtantiſſime? aut Te SEL-
VA iuuenis Epiſcope? qui gręcis a puero inſtitutus, qui
etiam latinis magnam ſpem tui Gallię commoues. Non-
ne hi omnes & ingenio peracri, & ſapientiæ, eloquentię-
què laude eximij, & vitę integritate ſingulares? Inter
quos optimum locum tenet ille, qui pręeſt ALLE-
Allegria. GRIÆ, doctus, copioſus, dulcis, prudens, certus hiſto-
riarum ſcriptor: cuius ęternis ſcriptis templa, vrbes, vi-
ri, conſilia, geſta, extra fugam annorum labentium, mo-
Michael a pijs officijs Cardinalis Turnonij. rientiumque immortalitatem obtinebunt. Habet etiam
non poſtremum MICHAEL a pijs officijs Turnonij:
quem diceres ad omnia Mercurij, ad omnia muſa-

rum

rum optata natam. Alius locus, alia oratio tibi vni paranda eſt AVRANGI EPISCOPE. Latius enim in tuis laudibus euagari, in tuis etiam meritis longius inſiſtere cupio. ijs enim diuinis conſilijs, quæ a natura, grauiſsimis etiam Iureconſultis tuis didiciſti; quorum ſcientiam mirificè tenes: quæ etiam a multarum honeſtarum artium, rerumque peritia conſecutus es; & cum oratorem apud Venetos agebas, & cum in Gallia vterque eramus, mihi frugi fuiſti. Tu primus de Venetijs, vbi aliquid de veritate libaſti, Regem admonuiſti, atque ad rem inflammaſti. Magno quoque vſui mihi fuit LAZARVS BAYFIVS græcis, latiniſque literis doctiſſimus, nunc Regis orator apud Venetos, literis de re hac cumulatiſſimè ſcriptis: quod Regis mater ab eo per literas petiuerat, ſenſum vt ſuum ſcriberet. Quomodo igitur poterat Rex ſapientiſſimus a me capi? quomodo ego doctiſſimorum Gallorum iudicia effugere? verſabar ſemper in luce clariſſimorum: quam Bleſiis hoc tempore IACOBVS FABER Stipulenſis miro doctrinarum ſplendore adauget: in qua etiã ſplendet Clarij clariſſimus COPVS IVNIOR magni Copi filius, non ſolùm latinis, & græcis, ſed etiam hebraicis literis, tribus pulchrè diſtinctis luminibus. Neque VOZELLES diui Ioannis eques optimus in magno optimarum, ſacrarumque literarum ſplendore latet in vrbe illuſtri Lugduni. Sed vt ad Lutetiam Pariſiorum veniam vrbem, & Regis ſolio nobiliſſimam, & præſtantiſſimo omnium diſciplinarum gym-

Auranges Epiſcopus.

Lazarus Bayfius, græcis latiniſque literis doctiſſimus.

Iacobus Faber Stipulenſis.

Copus Iunior magni Copi filius.

Vozelles diui Ioannis eques.

Lutetia Pariſiorũ, ſoliũ Regis, & celeberrimũ

M *naſio,*

totius Galliæ gymnaſium. *naſio, eruditiſſimisq; hominibus celeberrimam. Vbi GVLIELMVS BVDÆVS eſt in ijs ſtudijs, quæ*
Gulielmus Budæus. *tēporum vitio nunc propè dimiſſa, magnis eius laboribus reuocantur; ita probatus, & nobilis, vt eius ornatiſſimis ſcriptis latina, græcaque eloquentia ex tenebris, tanquam ad aſpiciendam lucem educi videatur. Vbi*
Gulielmus Copus, medicus inſignis. *GVLIELMVS COPVS medicus inſignis. At qui medicus Dij? qui de omnibus doctrinis, de latinis,*
Tuſanus Daneſius Ioannes Cheradamus. *græciſque literis quàm qui maximè meruit. Vbi TVSANVS. Vbi DANESIVS. Vbi JOANNES CHERADAMVS græcam linguam, atque in ipſa omneis liberaliſſimas arteis publicè ma-*
Franciſcus Vatablus. *gna cum laude profitentur. Vbi FRANCISCVS VATABLVS hebraicos authores pura latinitate audientibus aperit. Vbi ſunt magno in honore pro magna literarum, ſcientiarumq; cognitione*
Oliuerius Abbas. Paulus Aemilius Franciſcus Syluius. Nicolaus Beraldus. Symphorianus Morellus. *OLIVERIVS Abbas: PAVLVS ÆMILIVS: FRANCISCVS SYLVIVS: NICOLAVS BERALDVS: SYMPHORIANVS MORELLVS: pluresque alij, quorum nomina, quorumque virtutes cum multa, multęque ſint, quis ebumerare poterit? hi certe omnes ſi fallax eſſem, meas fallacias aliquando cognouiſſent.*
Gallia, alter orbis oculus. *Quid? ego in Gallia orbis altero oculo, ego ſemper in Regis curia: vbi me quotidie viri doctiſſimi, nobiliſſi-*
Benedictus Theocrenus nobilis Genuenſis. *mi conueniebant, alloquebantur, interrogabant, aliquid de re videbant: cognoſci non poteram? Aberat fortaſſe BENEDICTVS THEOCRENVS*

nobilis

nobilis Genuenſis, cui ego a multis annis notiſſimus? certe non aberat: Vir inquam egregius authoritate, prudentia, gratia, latinis, gręcisque literis: Cuius iudicium; quoniam iudicium ex colloquio, atque ex ſcriptis fieri poteſt; accuratiſſimum certe non ſolùm in ſcribendi, ſed etiam in ſubito, quotidianoque loquendi genere eſt: vt celeriter verba latina, non abiecta, gręcaque non inquinata voluit? vt grandis in oratione, & ſine moleſtia diligens? vt ornatus in carmine, & ſine faſtidio ſuauis? magnus certe ita vtraque laude eſt, vt nullam ei virtutem grauiſſimi oratoris, nullam elegantiſſimi poetę deeſſe putes. Quo factum eſt, vt Rex prudentiſſimus in huius viri diſciplinam filios a prima ætate colendos tradiderit. Et ni curſus cælorum iniquus eum ab ipſis, ipſos ab eo diu remouiſſet; hoc sũmo authore, ſummoq; doctore filij eo ingenio præditi, quo ſunt, etiamſi pueri ſint, iam ad ſenilem eloquentiam perueniſſent. Quorſum hæc? vt ex viri huius virtutibus, ex noſtra antiqua notitia, ex eius in Regem obſeruantia, & debita fide cognoſcatis; me neque Theocrenum potuiſſe, neque Theocrenum Regem fallere debuiſſe, cum de me loquebatur: loquebatur autem quotidie: quoniam Rex, vt, cum paulo ante mihi de Colmo ſermo erat, huius etiam doctrina quotidie delectatur. At nulla tibi erat antea de me cognitio ALOISI LEMANI in florentina nobilitate cum primis honeſtus: cuius doctrina hetruſcis, latinis, gręcisque literis nihil doctius, ornatius, elegantius, politius. Debebas tu quidem Regi maximo, qui te mirificè diligit

Iudicium ex colloquio, atq; ex ſcriptis fieri poteſt.

Benedictus Theocrenus a Rege Frãciſco inſtitutioni regiorum filiorũ prępoſitus.

Aloiſius Lemanus Florentinus.

git, qui ex carminibus tuis plenis & artis, & venuſtatis, ſæpe flores colligit; ex quibus corollas ſæpe facit, vt te imitando gallicanas muſas ornet, græcoque inceſſu ex te ducere choreas doceat. Tu etiam qua de cauſa toties Regem hortatus eſſes, toties Regi oſtendiſſes artem, quam attuleram, omnium artium eſſe maximam: quæ alias artes diffuſas, confuſasq; conſtringeret, illuſtraret, atque vt in promptu eſſent, efficeret: niſi tantum de arte mea vidiſſes, quantum ad acquirendum grauiſſimum teſtimonium tuum ſatis fuiſſet?

PERORATIO.

Sed quò penè infinita clariſſimorum virorum nomina me enumerantem? Quò dicendi æſtus me progredientem rapit? hoc certe notabili exitu omnia concludenda ſunt Etenim dixi, quoniam hęc inuidioſa rerum, verborumque molitio aduerſarijs aſſenſum ſuſtulerat, ne amplius repugnarent, ſpiritum diuerſa hominibus dona, non ſingulis eadem, neque ſingulis ætatibus omnia elargiri. docui etiam hæc, quæ ab omnium auribus abhorrere videntur, me ad naturæ penè operis ſimilitudinem perduxiſſe. Quaque ratione Rex maximus in iiſdem conſilijs in iiſdem verbis, cum volet, poteſtatem ſit habiturus, quibus probatiſſimi authores æternam ſibi gloriam compararunt, Poſtremò ſum vſus tot nobiliſſimis teſtibus, vt quorum teſtimonium in principio appellauerim, nomina etiam cum virtutibus apparerent. Ex quibus rebus intelligi poteſt,

Spiritus diuerſa hominibus dona, non ſingulis eadē, neque ſingulis ætatibus omnia elargitur.

vos

vos qui mihi aduerſarij eſtis, iniquè de me ſenſiſſe, atque dixiſſe. At præſtantiſſimę mentis numen, quod omnia, quæ exiſtunt ab eo, tuetur, huius quoque rei ab eo profectę aliquando patrocinium iacere non ſinet. Interea omnis telorum coniectus, æquæ in meam patientiam, & duritiam frangetur, ac ſi adamantinum gererem animum: neque enim vulnera magis fiunt ab emiſſis iaculis, quàm a debilitate accipientis. Immo verò arbitror vobis tãta omnino duritia reſiſtendum non eſſe, ſed remiſſius cedendum. Nam ſi ego durior me opponerem, ardentius fortaſſe, crudeliusque fureretis. Configite igitur me minimè ſaxeum quantumlibet obtrectationibus, atque aculeatas, contortasque calumnias ingerite; vt veſtra hæc tanta lædendi ſolicitudo in mea patiẽtia aliquando conquieſcat: vt aliquando etiã, vbi alleuata mente vos dictorum pęnituerit, me coniunctiſſimè complectamini. In quo enim a crudelibus feris me alienum oſtendam, ſi vbi quis pupugerit, iracundè incitabor? non ſemper ferę incenduntur ira, non ſemper præ furore earum oculi ſcintillant. Cum igitur aliquo tempore feræ non agitantur; tum eas tranquillo eſſe animo neceſſe eſt. Feræ itaque aliquando, perinde atque homo, quietiſſimam vitam agunt, nulla aliquando ex earum ore emanat crudelitas. At quando indicabimus aliam etiam rem, nedum intelligentiæ vim in nobis ſummam eſſe, in nobis eſſe ſingularem, in nobis antecedere feris? nempe cum ęquo animo ſtimulos ſuſtinebimus: cum placida, amica, miſericordique mente incitantem amentia affectum

Vulnera non magis ab emiſſis iaculis, quã a debilitate accipiẽtis efficiũtur.

Ceſsio atque paciẽtia furori aduerſariorum opponenda.

Pacientia hominem mente prę ditum a feris diſtinguit.

fectum inſpiciemus. hac vna re maximè CHRISTVM dominum imitabimur. hac vna eius inſtituta ſeruabimus. hac vna eius quaſi veſtigia perſequemur. Egone recuſabo ferre toleranter, quam ęqualis meus mihi fecerit iniuriam; ſi CHRISTVS a ſeruis ſumma patientia, incredibilique pietate, tam inſignem accepit, ac tulit? atque ab ijs, apud quos tot beneficia indignè locauerat? Verùm a me, quæ vnquam beneficia in homines extiterunt? niſi hęc primum numeranda ſint, quę vel maximè ad res priuatas: & publicas pertinent. quæ tamen qualiacunque ſunt, ab ipſo etiam rerum omnium largitore collata ſunt. Cui quidem etiam ſi orbis terrarum ſalus, etiam ſi bona omnia adiudicanda ſint, quæ opera grati animi pro tot, tantiſque benignę factis eſt reddita? Cum ipſe rogaret patrem ſummum, ne id crimini daret. Vt igitur ego ſingularem CHRISTI pietatem in me contineam: quò magis vos contra exiſtimationem meam venietis: quò magis lędetis: quò magis etiam vigilias meas oppugnabitis: quò magis nomē meum euertere conabimini: eò maiori deuinciar erga vos miſericordia, quòd inſcientię durus, acerque morbus vos vrgeat: atque vt integram valetudinem ſalubri, pręſentique medicina reſtituamini, dabo eam, quam potero, operam. Ecquis vnquam medicum prudētem vidit iraſci, ſi cum elleborum inſano pręberet, ab ipſo aut neglectus, aut verbo violatus, aut etiam percuſſus fuit? Vidi ego etiam multos ex brachio, aut manu, aut tibia, aut pede grauiter laborantes, non idcirco aliquod eorum abſcindere, quòd dolorem,

Chriſti patientia nobis imitanda.

Prudens medicus iraſci ægroto minime debet.

lorem, quòd moleſtiam incuteret: ſed neglectis cæteris, quę rectiſſimè valebãt, id tantum curare, quod opprimebatur aſſiduis tandiu palpationibus, fomentisq́ue, dum languor decederet. Ita ego vos, vtut meriti erga me, quia partes eiuſdem corporis eſtis, cuius ego quoque ſum, quantulacunque pars, maximo incendor veſtræ valetudinis ſtudio. Si enim vobis mens integra, incorruptaq́ue eſſet, non multa contra me, contraq́ue eos labores, quos nõdum vidiſtis, quos tantus Rex approbauit, quos Deus maximus tribuit, inhumaniter diceretis. veſtri igitur miſericordia commoueor; molliſſimoq́ue animo vos oro, atque obſecro, ne ex Chriſtiana familia; quæ perinde, atque vnum corpus eſſe debet partibus amicis, atque cohærentibus; excidatis. At niſi in vobis longè maiora a Deo extarent beneficia; niſi maius ingenium veſtrum, magnarumq́ue, atque optimarum artium ſtudium; niſi in vobis maior eſſet virtus, & maiori virtute amplificata authoritas; niſi, cum præditi ſitis omni liberali, & digna hominibus ſummo loco natis ſcientia, hac etiam dicendi laude eſſetis clariſſimi: dicerem vos aliqua flagrare inuidia. Verùm quid eſt in me quæſo præter hoc laude dignum? tot tamen laboribus, tot vigilijs comparatum, quod fortaſſe etiam veſtris aliquando cõmodis erit vtiliſſimum; atque id, quodcunque eſt, ad Deũ optimum maximum referendũm eſt. Vultis igitur vobis ipſis, nedum mihi inuidere? aut ægreferre, quòd Deus huius etiam vobis inuentionem non contulerit; qui omnibus alijs virtutibus floretis, & circunfluitis, quarum ne pars minima quidem a me expectanda eſt? Sed videte,

quæſo,

quæſo, ſi hanc laudem a me prę inuidiæ ardore eripitis, ne
id verum eſſe fateamini: quod non modò rectè fieri, ſed om
nino fieri non poſſe dicebatis. Nemo enim vnquam inui-
dit, ſi putauit id, quod inuidit, ab eo abeſſe, cui inuidit.
Ex Dei igitur immortalis beneficio, ex re communi, ex re
etiam aliquando (vt ſpero) veſtra, tantum erit vobis inui

Motus inuidiæ longè omniũ acerrim⁹.

diæ incendium? cuius profectò motus longè omnium eſt
acerrimus. Vtinam talis eſſet, qualis eſt is, quo ad bellum
excitamur. Qui enim bellum gerit, apertè gerit. ac tan-
dem bello exhauſto animus olim offenſior in hoſtem, quoti
die recolligi, & demitigari poteſt. At ille, in cuius pecto
re liuor eſt, ſæpe etiam amicum lædit; & quia morbi tur-
pitudine permouetur; cauſam offenſæ, quaſi turpem cęlat.
Occultè igitur inuidet: apertè, aut laudem excipit, aut lace
rat. Sæpe etiam, quia ab inſtituta conſuetudine non refu-
git, nũquã amico, ſinceroque animo in eum, cui inuidet, eſſe
poteſt Quid mirum, ni putet humanitate prohiberi, ne ami
cum lædat, cũ ſibi ipſi primũ ſit pernicioſus? Semper enim

Inuidi infeliciſſima conditio.

inuidus excruciatur, ſemper angitur animo, ſemper cura
intima torquetur: neq; eius morbus vnquã orã videt alicu
ius vltimi; ita grauis, ita aſſiduus, ita interminatus eſt nũ-
quam miſer ex tanto æſtu reſpirat, niſi cum aliquẽ in cala
mitatem aut conijcit, aut coniectum videt: quoniam alie-
nam felicitatem ſemper grauiter accipit; & cum malè eſt

Inuidia monſtrũ immaniſſimum, ſęuiſſimaq; beſtia.

alicui, Letitia afficitur. Cui monſtro immaniſſimo, cui Har
pyæ, cui beſtiæ ſęuiſſimæ inuidiam crudelitate conferre
poterimus? nihil hac execrabilius, nihil horribilius.
Hæc ſemper iter amoris, atque officij interrũpit. Hęc ami

citias

citias euertit, proſternit, delet. Hec olim manum primę inuidi fuſte, ſeque ipſa armauit, atque eam crudeliter induxit, vt innocentiſſimo fratris cruore inficeretur. Hæc prima aditum morti patefecit: quæ in profundiſſimis orci tenebris latens, lucem aſpicere non audebat: eamque in has regiones luminis eduxit. Quid multa? Quid tandem vobis amici ægre eſt? Quid? Secunda ne mea cum euenient, aduerſa vobis putatis? immo etiam mea ſecunda, vt ad veſtras rationes accommodetis, communiaque ducatis oro, atque obſecro. Nolo enim, ne a me ipſo inops ſim, veſtra carere amicitia: neque enim mihi commodè conſulerem, ſi ego vos odio proſequerer: quos & ſi meo honori aduerſarios audiam; ſi etiam tacita in veſtro morbo animi non fuerit mea beneuolentia, vt vos ad ſanitatem reuocem; vos tamen ſuauiſſimè, diligentiſſimeque colò; vos ampliſſimos, vos etiam mihi amiciſſimos eſſe cupio. Non enim alienum eſt; me, partem vnam Chriſtiani corporis, cæterarum partium rectam, confirmatamque valetudinem, atque amicitiam mirificè cupere. Hanc igitur, ſi mihi ſubinuidetis, medicinam adhibete: quoties vos, qui aut manus, aut pectus, aut aliquid certe me excellentius eſtis, videtis me tanquam corporis pedes in imis inambulure locis. id mihi ne inuideatis, in vos ipſos ſtatim oculos conuertite. Cum enim videbitis vos aut pectus eſſe corporis ſcientiarum ſuaui, variaque copia vndique expletum, aut manum orationis ſtylo præſtantem; omnis animi motus corruet: omnem conceptam inuidiam ſedari, extinguique in uobis facile cognoſcetis:

ſcetis: atque etiam amicitiam ſenſim erga me pedes ueſtros, & ſine ſenſu obrepere ſentietis. Nunc te FRANCISCE Regum maxime: in cuius auguſtiſſimo nomine res tam noua, tã ſingularis apparet, vt potius cęlo delapſa, quàm meis manibus, meòque ingenio facta iudicari poſſit: cui donum hoc Deus optimus maximus dignum ſceptro, coronaque tua, dignum tua maieſtate per me impertitur; imploro & obſecro; vt poſtquam eum fructum, voluptatemq́ue ex eo ceperis; quam ingenij tui incredibilem magnitudinem, diuinamq́ue omnium rerum memoriam breui capturum tute ipſe cognoſcis: id in omnem chriſtianam gentem, quo nomine Rex diceris, liberaliſſimè effundas. Sic enim luce veritatis, fideiq́ue meę res certa, & illuſtris, nulliq́ue dubia apud omnes declarabitur: tuaq́ue admirabilis amplitudo, quę merita hęc reponere magnopere mihi pollicita eſt, nulla in re magis larga, benefica, & liberalis appellari poterit.

Cõuerſio ad Franciſcum in Regem.

FINIS.

Errata potiora ſic corrigito:

Pag. 1. lin. 12. candidiſſimis. leg. candidiſſimi, aut candidiſſimos. pag. 5. lin. 4. ſurgerent leg. fugerent. pag. 5. lin. 5. mo ocromatis. leg. monocromatis. pag. 7. lin. 23. neceſſatione. leg. ne ceſſatione. pag. 12. lin. 22. homibus. leg. hominibus. pag. 21. lin. 16. ſune. leg. ſunt. pag. 42. lin. 6. cognitione. leg. cogitatione. pag. 66. lin. 19. illangantur. leg. illigantur. pag. 71. li. 11. Pallontes. leg. Pallentes. pag. 77. lin. 1. deliturim. leg. delituerim. pag. 84. lin. 3. Apollonis. leg. Apollinis. pag. 88. lin. 17. varijq́; leg. varijsq́;.

Digitized by Google